
SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

DE

Ceremonia apud Indos, quae vocatur jâtakarma.

TYPIS L. VAN NIFTERIK HZ.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

DE

Ceremonia apud Indos, quae vocatur jâtakarma

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

D. BIERENS DE HAAN,

PHIL. NAT. DOCT. MATH. MAG., ET IN FAC. PHIL. NAT. ET DISC. MATH. PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTET

JACOBUS SAMUEL SPEIJER,

AMSTELODAMENSIS. " Speyer

DIE XXI M. DECEMBRIS, A. MDCCCLXXII, HORA III.

IN AUDITORIO MAIORE.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD IAC^M^. HAZENBERG, CORN^I^. FIL^M^.

MDCCCLXXII.

VIRO PRAESTANTISSIMO

N. S. CALISCH

AVUNCULO OPTIMO CARISSIMO

HOCCE OPUSCULUM SACRUM ESSE VOLUIT

SCRIPTOR.

PRAEFATIO.

§ 1. Dissertationem scripturis et solitum et par est pauca praemittere, quibus exponantur argumenti rationes ipsumque argumentum quale sit, definiatur. Tum indulgentiam petendi est locus admonentibus lectores, ut secum reputare velint invitos fere plerosque ad tale opus accingi; ut summos in facultate sua honores accipiant, non scientiae fines promovendi causa id moliri solere. Equidem certe dura lege coactus haud libenter hanc disputatiunculam attigi, novitius in eo disciplinae genere, unde sumpta est, quippe qui sermonem Sanscriticum nonnisi primoribus labris degustaverim. Nolebam tamen dissertationem scribere, quae non esset posita in iis studiis, quae colere institueram. Quod consilium cum cepissem, argumentum quaerebam ad exiguas meas vires accommodatum, in quo tractando non nimium temporis spatium absumeretur. Viri cl. Kerni hortatu postquam in cognitionem veni eius libri, qui Âçvalâyani g*r*hyasutrorum nomine inscribitur, id reperi, quod desiderabam. Ceremonias enim Indorum continent

g*r*hyasutra moresque, ut ita dicam, domesticos, in quibus nonnulla ita sunt comparata, ut et mihi, et lectoribus, si qui erunt, haud absurdum iudicaverim unam alteramve ceremoniam explicando tentare; mihi, quod tali negotio minus me imparem fore arbitrarer, quam si in alia huius disciplinae parte operam meam collocarem; lectoribus, quod raro adhuc dedita opera de tali re sit disputatum. Neque mirum; quamquam enim multi hoc genus libri nostris hominibus innotuerunt [1]), parvus admodum est numerus eorum, quae in bibliothecis publicis asservantur g*r*hyasutra, unum editum est, alterius editio inchoata [2]). Inde factum est, ut praeter Haasii diligentem in nuptiarum ritum disquisitionem (in volumine quinto Weberi Stud. Ind. pagg. 267—412) et ea quae Max Müller in volumine nono, pagg. I sqq. „Zeitschr. der deutsch. morgenl. Gesellschaft" de mortuorum religionibus exposuit, nihil fere, quoad scimus, ex limpidissimo fonte in communem usum defluxerit [3]).

Horum secutus exempla dissertatione nostra eas ceremo-

---

[1]) Enumerationem g*r*hyasutrorum, quae adhuc in nostrorum notitiam pervenere, vid. in Web. Ind. Stud. II, pag. 160; Max Müller „History of the Ancient Sanskrit Litterature" pag. 201. Cf. et Burnell in „Trübners Oriental and American Record", anni 1869, pag. 594.

[2]) Quo tempore haec scribebamus, duo tantum fasciculi e Gobhilîya-g*r*hyasutris in Bibliotheca Indica editi erant; vereor, ne prolixior, quam oportebat, iis sit adiectus commentarius, ita ut multorum voluminum opus fore videatur.

[3]) Neque h. l. Stenzleri v. cl. diligentem et strenuum laborem sine laude praetermittere oportet; bene meruit de literarum Indicarum studiosis primus Âçvalâyani g*r*hyorum editor, quae editio anno 1864 Soc. Germ. Orient. impensis prodiit, in Pâraskari vero g*r*hyasutris et dux et interpres (vid. ea quae scripsit in Zeitschr. d. deutsch. morg. Gesell. VII, pag. 527—541).

nias complecti decrevi, quae ad novos pertinent natos, post eas, quas Müller explicavit et Haas, sine dubio memoratu dignissimas, dignas etiam cognitione eorum, qui linguae Sanscriticae ignari „nil humani a se alienum" putent. Neque in ignobilis ignotaeque gentis ceremoniis versabimur, quae nihil ad nos, sed in eius, quae arto nobiscum est coniuncta vinculo; non solum enim linguas Ariarum gentium mythologiamque a communi stirpe esse profectas scimus; iam morum et legum apud singulas principia haud diversa fuisse verisimillimum est; ex uno eodemque foco sanctos ignes in suam quaeque regionem transportasse videtur. Quodsi temporis tractu multa aut obsoleta esse aut intercidisse constat, non desunt vestigia, quae id ostendunt, quod statuimus; in nuptiarum et mortuorum ceremoniis passim reperiuntur [1]). Conabor igitur, ubi res poscet, Indorum quas expositurus sum novorum natorum ceremonias comparare cum similibus apud cognatas gentes.

Pauca de sutrorum genere et ratione praefari libet. Sutrorum, quae ritum moremque continent, tria sunt genera, *çrauta*, *gṛhya* et *sâmayâcârikasûtra*. Ex his omnia pendere videntur, quae alia innumera de *kalpa* (ritu) et de *âcâra* (more) brahmanes et pa*ṇḍ*iti scriptitaverunt. In çrautasutris describuntur sacrificia publica et ea privata, quae tribus solent fieri ignibus. Cetera sacrificia privata omnes-

[1]) Imprimis in Romanorum cultu haud pauca sunt, quae Indorum ceremoniis quam maxime similia esse manifestum est. Iam ea, quae Colebrooke, vir maxime egregius, initio huius seculi, cum gṛhyasutra Europaeis nondum paterent, recentiorum libellorum ope de nuptiarum apud Indos ritu in volumine quinto et septimo „Asiatic Researches" scripsit, Rossbachium movebant, ut in excellenti disputatione sua, quae est „über die Römische Ehe" hanc similitudinem in nuptiarum ceremoniis indicaret.

que ceremonias, quas paterfamilias pro sua suorumque salute peragere debet, gṛhyis continentur, sâmayâcârika Max Müllero auctore agunt de more quem observare oportet in consuetudine hominum variisque negotiis vitae humanae [1]).

---

[1]) Cf. Max Müller l. l. pag. 200: „The Gṛhya and Sâmayâcârikasûtras have frequently been confounded bij European scholars; but the Brahmans distinguish strictly between the gṛhya-ceremonies, performed by the married householder [ni vehementer fallor, etiam coelibi patrifamilias a nonnullis permittuntur; vid. Haas in Web. Stud. Ind. V, pag. 286; locis ibi laudatis adde Pâr. Gṛhy. I, 2: „*âvasathyâdhânam dârakâle, dâyâdyakâla ekeshâm*" „ignis domesticus accenditur, ubi quis uxorem duxerit, secundum nonnullos etiam in hereditatibus (sc. si patre mortuo, filii non una maneant, sed diviso patrimonio singuli iam singularum patres familiarum fiant)"], chiefly for the benefit of his family, and the Sâmayâcârika rules, which are to be observed by the rising generation, and which regulate the various relations of every-day life." Pag. 133 vero eiusdem libri inter ceremonias distinguens et âcâram minus recte mea quidem sententia fecisse videtur. Vocabuli enim *âcâra* vis tam late patet, ut et gṛhyaceremoniae hac appellatione comprehendantur. Cf. e. g. Prayog. Ratn. pag. 45, a, 1, ubi *nâmakaraṇi* ceremoniae expositionem haec praecedunt verba: *atrâ'yam çishṭâcârah* et eadem pag. reg. 10 de *paryaṅkârohano* item ceremonia legimus: „*svasvâcâraprâptam câ'nyad api kâryam*" et imprimis Âpastambîyaprayoga — de quo libro mscr. plura vid. infra — pag. 1 reg. 6: „*viçishṭaçishṭâcârânumitavedamâtrapramânakâny aupâsanam vaiçvadevah pârvanam ashṭakâ çrâddham sarpabalir içânabalir iti sapta pâkayajnaçabdavâkyâni*;" hic enim de eo agitur âcâro, quem homines sequuntur eas patrando ceremonias, quae in gṛhyis explicantur, sc. pâkayajños. Quod rectum esse et inde apparet, quod dharmaçâstrorum scriptores quaecunque fere in çrautis et gṛhyis describuntur, memorant, sed ita memorant, ut sacrificia et ceremonias iubeant, ritum vero exponere çrautis et gṛhyis tamquam suae provinciae relinquant. Totum hunc locum illustravit Stenzler (Zeitschr. d.d. Morg. Ges. VII, pag. 528) his verbis: „Fast alle in den Gṛhya-Sûtra beschriebenen Gebräuche, welche sich auf das Familienleben und die kastenmässige Erziehung der Kinder beziehen, werden auch in demjenigen Theile der Dharma-çâstra erwähnt, welcher von der Sitte (*âcâra*) handelt.......... Von allen den erwähnten Gebräuchen sagt das Dharmaçâstra immer nur, zu welcher Zeit sie vollzogen werden sollen, und verweist rücksichtlich der Art der Vollziehung auf

Quae autem in g*r*hyis traduntur ceremoniae, magnam eae spirant antiquitatem, neque exstat causa cur negemus paululum immutatum amplificatumque satis vetustum ritum his sutris contineri. Cum enim omnes religiones longaevae sunt, tum domesticae singulorum vitam ordinantes, paterna et avita auctoritate munitae, ita alte in hominum animis sunt insitae, ut potius deos desererent, quam solitum deorum cultum. Quod cum de omnibus omnino gentibus valeat, praecipuam in Indos vim habet, moris maiorum tenacitate Romanorum pares aut superiores. Deinde, ut quique diutissime ab alienis pacis bellique artibus remoti vivunt, ita minime corruptos mores habere solent; cuius etiam rei Indos cum maxime documento esse constat. Tum ipsa simplicitas et evidentia praeceptorum, quibus g*r*hyasûtra consistunt, antiquitatem ostendit, si quis comparaverit cum ingenti atque inani mole ceremoniarum, superstitiones magis quam religiones referentium, quibus recentiorum abundant scripta, sive prayoga sive paddhati sive quo alio sunt appellanda nomine. Primarium igitur, ut par est, in libris id genus g*r*hyasutra omnium consensu obtinent locum.

Quo tempore autem composita sint, haud ita facile enodari potest. Solus, quem huic inquisitioni operam navasse scio, Max Müller in libro laudato „History of the Ancient Sanskrit Literature" pagg. 71—312 multas ob rationes omne genus librorum, qui „sûtra" titulum inscriptum habent, ad certum temporis spatium reiiciendum esse suspi-

---

die als vorhanden vorausgesetzte Vorschrift (*vidhi*). Die Verweisung auf die „Vorschrift" beziehen die Commentatoren stets auf die G*r*hya-Sûtra, und allerdings ist auch nur in ihnen die vollständige Anweisung über den Ritus dieser Handlungen enthalten."

catus est, quod spatium ab anno circiter sexcentesimo ad annum ducentesimum ante aeram nostram pertinere coniecit. Sed cum et ipse hanc suam coniecturam caute et haesitanter protulerit (cf. imprimis l. l. pag. 244), Goldstücker, vir inter principes Indologos nominandus, in praefatione ad Mânavakalpasûtra, quae sub titulo „Pânini" etiam separatim edita est, pag. 68—80 totum hoc chronologiae aedificium insolidis fundamentis superstructum esse ita probavit, ut nil certi de aetate eorum adhuc prolatum esse neque pro exigua Indicae chronologiae scientia, quae etiamnunc obtinet, proferri potuisse, mihi persuaserit.

Atque id quod sûtra componi coepta sunt, postquam iam erat illud genus scriptorum, cui „brâhma*n*a" est nomen, Müller demonstravit profecto; vel discrepans probat lingua vel Indi diligenter distinguentes inter aeternam (*nityám*) et divinam *çrutim* et sûtra, humanum opus, quamvis ea a sapientissimis maximeque austeris confecta esse contendant. Vid. Max Müller l.l. pagg. 95—97, Goldstücker l.l. pag. 10 sq. et qui ibi laudantur Kumâril. ad Jaiminîyanyâyamâlâvistara I, 3,7 sqq. et Çabarasvâmin ad eundem locum statuentes Maçakum, Baudhâyanum, Âpastambum, alios kalpasutrorum non solum auctores, sed etiam scriptores esse existimandos. Quod idem de g*r*hyasûtris est dictum, quoniam ea quae novimus aut pro çrautasûtrorum appendice sunt aut certe eiusdem generis auctoribus adscribuntur [1]. (cf. etiam Nâray. ad Açv. G*r*hy. III, 3,1 τῇ *nityá çruti* opponens *anityáni sûtráni*). Terminum vero, ad quem

---

[1]) Cf. Stenzler l.l. pag. 529 sq: „Einige derselben schliessen sich an Çrauta-sûtra als Ergänzungen an, andere scheinen selbstständige Werken zu bilden."

sûtrorum duraverit aetas, haud ita recte a Müllero esse fixum, iam Goldstück. l.l. pag. 72 et pag. 77 sqq. ostendit. Quibus hoc tantum addimus, virum cl. Kernum me docuisse, Âryabhaṭum, clarissimum illum astronomum decem Âryo metro conscriptis strophis astronomiae elementa complexum esse, quae constanti appellatione „Daçagîtikâsûtrâṇi" celebrantur. Âryabhaṭus autem anno 476 p. Chr. natus est. Constat igitur, et quinto etiam vel sexto seculo aerae nostrae *sûtra* esse composita, et ea exstare sûtra, quae numeris sint adstricta. Sed fac ea, unde Müller ad argumentandum profectus est vera esse; sint sane universi, qui perpetuis çlokis conscripti sunt libri aetati quam vedicam (rectene an secus, h. l. nil ad rem) appellare solent, postponendi; sit datum Müllero sûtra ante componi coepta esse quam hi, num inde consequitur, quodcumque non çlokis perpetuis sed soluta oratione sutris constet scriptum, ut id in aetatis vedicae reliquiis recte ponamus? Numquis Quinti Smyrnaei carmini epico summam antiquitatem tribuet, etiam ante Archilochum scriptum esse contendet, hoc usus argumento, quod Graeci prius epos quam iambos attigerint? At sermo Smyrnaei aetatem luce clarius monstrabit. Ex sermone igitur sumenda sunt testimonia, quibus sutrorum aetatem definire oportebit.

Quod negotium satis videtur asperum esse. Sûtra enim cuiuscunque artis elementa exponunt hoc habent omnia, quod concisis atque ut ita dicam praeruptis verbis consistunt, neque conceptis carent. Inde fit, ut is quo peculiari Müller ait sûtra stilo esse composita, ne stilus quidem sit. Hoc etiam magis illustrabitur voce Indica latine reddita; sunt enim compendia quae epitomen ritus, iuris, artis adumbrantia ad instruendos pueros iam diu a brâhmanis

adhibebantur atque etiamnunc adhibentur. Quid mirum, quod in scriptis huius generis brevitatem spectatam esse videmus [1])? Quid, quod sermo incomptus, nisi quis commentarium adhibuerit, fere intellegi nequeat? Neque omittendum est, regulas eas discipulorum memoriae mandatas interpretatione magistri explicari solere. Qui ea scribebant compendia, vel potius annotabant, ut quam brevissime totius artis capita absolverent, curabant, non ut Europaeorum posteris nimis curiosis opportunitatem darent aetatem suam explorandi. Ex tam ieiunis igitur et aridis scriptis, ubi omnia orationis ornamenta spreta sunt, fere nihil elici potest, quod ansam det huic inquisitioni. Quamquam uno loco, in Âçval. G*r*hy. I, 24, 10 (ed. St.) indicium mihi reperisse videor, quod aetatem huius saltem libri illustret. Legitur ibi: „*pâdau prakshâlâpayîta*" (quae enim varia in nonnullis libris mss. est lectio *prakshâlayayîta* recte ea ab utroque editore improbatur; cum enim in libris mss. nâgaricis characteribus literae *y* et *p*, ob simillimam figuram saepissime confunduntur, tum forma *prakshâlayayîta* nihil est); in his vox *prakshâlâpayîta* dialectos pracriticas redolet. Causativos enim in *paya* et *âpaya* desinentes lingua sanscritica eorum habet verborum, quorum radicis ultima litera sit vocalis, ut ab r *arpayati*, a *dâ dâpayati* alia; numquam eorum, quorum radices in consonantem desinunt; quod saepissime fit in dialectis pracriticis. Praeter nostrum locum, quantum scio, unum sanscriticum est exemplum talis formationis: verbum *utkalâpayati*, quod in Pancatantro bis, semel in Vetâlapancavi*m*çati (in Anth. Lass.) occurrit (vid.

[1]) Cf. Max Müller l.l. pag. 71 sq. et Goldstück. l.l. pag. 21 sqq.

Lex. Pet. s. v.); Pancatantrum autem aliquot seculis post Christ. nat. florentibus linguis pracriticis, conscriptum esse procul est dubio, neque profecto Vetâlapancavi*m*çati aetate antecedit. Audacius vero esset, opinor, ex hoc unico loco aliquid statuere de aetate, qua composita esse Âçvalayâ-nag*r*hyasûtra videantur. Sed gravius hoc est. In iisdem Âçv. G*r*hyis (III, 4, 4), pariter in Çânkh. G*r*hy. IV, 10 (quem locum citavit Müller l.l. pag. 205) multi enumerantur *ácâryâs*, quos ut saturet praecipitur patrifamilias, postquam aliquam Vedi partem legerit. Sunt *SumantuJaimini VaicampâyanaPailaSûtraBhâshyaBhârataMahâbhârataDharmâcâ-ryâs* et qui alii sequuntur; sed iam satis est. Ad aetatem enim nostri illustrandam sufficiunt vocabula Sûtra et Bhâshya, ut taceam de Mahâbhârato, in quo explicando Max Müller (de toto loco agit in libro laud. pag. 42 sq. ann. Cf. et Weber, Verz. der Berl. Skr. Hdschr. pag. 32 et 35) causarum patroni magis partes agere, quam criticam artem exercere mihi videtur. Sûtra enim tritissimo usu grammaticam designant Pâ*n*ineam, et Bhâshya quid aliud est, quam celeberrimus ille commentarius ad Pâ*n*inim, quem composuit Patanjalis. Patanjalim autem ± 180 a. Chr. n. fuisse, verisimile est, ne Müller quidem ante seculum tertium a. Chr. n. aetatem eius reiicit. Videmus igitur, in g*r*hyo nostro inter personas mythicas referri opus eius, quem tertio vel secundo seculo ante Chr. n. fuisse scimus. Nonne complurium seculorum intervallum inter utriusque aetatem intercedere patet, si quis secum reputaverit, non paucis annis memoriam hominis ita posse labefactari, ut eius scripta inter personas mythicas ducantur. Haec de Âçvalâ-yana- et Çânkhâyana g*r*hyis; in aliis aliud indicium, ni fallor,

hoc est, quod in Âpastambîya-et Baudhâyanagṛhyaprayogis, quae, ut scriptores diserte profitentur, ope Baudhâyanasûtrorum alterum, alterum Âpastambîyasûtrorum composita sunt, is ordo constellationum lunarium (nakshatrorum) servatur, quem post annum 450, ne dicam 500, aerae nostrae invaluisse constat [1]). Vehementer igitur est dolendum, ipsa gṛhyasutra, unde hi materiam suam hauserunt, nondum edita esse; Baudhâyanagṛhyasutrorum nescio, an omnino in Europa liber mscr. exstet, Âpastambîyagṛhyam continentes tres enumerantur codices in catalogo quem publicavit Burnell in Trübner's „American and Oriental Record", 1869, pag. 594. Si enim ut multa alia, sic nakshatrorum ordo ex sûtris desumptus est, haec quidem duo sûtra ad aetatem sunt referenda multo posteriorem, quam Müller permisit. Donec hoc compertum erit, sub iudice lis sit; neque ego satis calleo literas Sanscriticas ad rem tantam diiudicandam; cum vero chronologia Indica etiamnunc post tot virorum doctorum eximios labores spissis obvoluta sit tenebris, nil negligendum esse ratus, quod aliquam saltem lucem afferre possit, silentio haec praeterire nolui.

Hoc tamen ex praecedentibus iam consecuti sumus non necesse esse, ut nisi inter angustos quos Müller temporis circumdedit fines, sutra non esse composita putemus; reliquum est, ut demonstremus, de aetate Âçvalâyani, Kâtyâyani, Çaunaki qui kalpa- et gṛhyasûtrorum scriptores celebrantur, pariter nihil liquere. Nam qua ratione ingeniosius, quam verius, ex factis quasi-historicis Müller (l.l.

---

[1]) De his codicibus vid. infra; totus locus, quo nakshatrorum nomina enumerantur vid. in appendice, huic opusculo subiecto.

pag. 233—245) collegit, Çaunakum anno quadringentesimo ante Chr. n., reliquos duos circiter quinquaginta annis post fuisse, eam rationem improbandam esse, et a priori manifestum est (Euhemeri enim more, non suo ibi argumentatur) et Goldstücker l.l. pag. 80—84 luce clarius demonstravit. Quem cum legissem, ea, quae iam scripseram ad Mulleri sententiam infirmandam supprimere decrevi; nihil enim habebam, quod adderem, eaque, quae equidem caute attigeram, ibi bonis argumentis munita reperiebam. Quapropter lectores huius quaestionis curiosos ad locos laudatos refero.

Sed ne hoc quidem mihi constare videtur venerabiles illos sapientissimosque viros, qui g*r*hyorum scriptores ab Indis perhibentur, re vera fuisse. Non solum enim mythologiam magis quam historiam referunt ea, quae de iis traduntur, sed plus est. Omnia enim in *âyana* desinentia sunt patronymica et gentilicia, non unius tantum hominis [1]), quod idem etiam de Çaunako [2]) et Âpastambo [3]) valet: multi igitur fuere Âçvalâyani, Çânkhâyani, Kâtyâyani, alii diversis diversi viventes temporibus, sicuti apud Romanos Iulii, Aemilii,

[1]) Cf. Weber, Stud. Ind. V, pag. 95 cum annot., ubi haec ex Turnourii Introduct. ad *Mahawanso* citantur: *Kaccassa apaccam Kaccâyano, Kacco te kira tasmin gotte pathamapuriso, tappabhavantâ tabbamsikâ sabbeva Kaccâyanâ jâtâ,* i. e. „*Kaccâyana* est „Kacco oriundus"; Kaccus enim eius familiae primus (fuit), huius posteri, quoniam in huius sunt familia, omnes Kaccâyani facti sunt" *Kacca* autem palice respondet sanscr. *Kâtya.*

[2]) Çaunaki nomen patronymicum esse, et Weber l.l. pag. 126, ann. (**) indicare videtur et Çaunaki inter alia cara*n*a in Cara*n*avyûho memorati (vid. Müll. l.l. pag. 375) affirmant; tum et grammatica postulat. (Cf. Pân. IV, 3, 106 et ga*n*am Vidâdi). Cum forma gentilicii nominis cf. Çâkunt. Act. I, [pag. 5, in fin. ed. Bomb.] „*atthi ko'vi kosiotti gottanâmaheo,*" i. e. „est aliquis nomine gentis Kauçika appellatus."

[3]) Quamquam in Cara*n*avyûho secundum Müll. pag. 371 nomen cara*n*i

Tullii. Quod patronymicum et in iis usurpatur qui ex eadem sunt gente, et in iis, qui scholam vedicam communem habent. Duplex enim est familia: *gotra* sive *kula* (gens) eorum qui sanguinis vinculo sunt coniuncti, *cara*na eorum, qui ad eandem *çâkhâm* (scholam) sese applicant, quod dilucide ut solet et sagaciter Max Müller l.l. pag. 378 exposuit. Idem patronymicum igitur adhibetur ad sectatores eiusdem cara*n*i, idem ad eiusdem familiae membra indicanda; Âçvalâyani appellantur v. c. tam ii, qui ab Açvalo quodam originem trahunt, quam ii, qui Âçvalâyanaçâkhâm sequuntur. Nam, ut recte Müller monet: „where the membre of a *gotra* became the founder of a new *cara*na, the new *cara*na might bear the name of its founder, and thus became synonymous, but not identical with a *gotra*." Neque temere hoc statui discrimen, manifestum est inspicientibus seriem nominum cara*n*orum, quae in Cara*n*avyûho, et gotrorum (gentium), quae in Âçv. Çr. Sûtr. XII, 10 sq. enumeratur, easque inter se comparantibus. Ibi simul traditur, suos quamque gentem heroës eponymos et colere et sacrificiis placare solere [1]). Cum haec ita sint, ecce locum iam supra laudatum Âçv. Grhy. (III, 4, 4) ubi libatione placantur viginti tres praeceptores (âcâryâs) „*SumantuJaimini*........... *Çaunakam Âçvalâyanam* (sc. *tarpayâmi*, ut commentator Nârâya*n*us monet) [2]) *ye câ'nye âcâryâs te sarve trpyantv iti*," i. e. „et multi alii et Çaunakus et Âçvalâyanus quique alii sunt praeceptores hi omnes saturentur;" (cf. Çânkh. g*r*h., IV, 10

Âpastambin memoratur, tamen ex Pân. IV, 1, 104, collato ga*n*o Vidâdi, patet, iam Âpastambi nomen patronymicum esse.

1) Cf. Açv, l.l. in Müller l.l. pag. 380—385.

2) Non nego, hanc interpretationem mihi non placere, atque excogitatam

et loci quos supra pag. 9 laudavimus). Cetera nomina utrum mythica sint necne huc non pertinet, sed vide ne absurdum fecisse videatur *scriptor* Âçvalâyanus, ut sibimet ipsi libarent, praecipiens. Aut igitur cum Indis accipiendum est omnia, quae sub Âçvalâyani nomine circumferuntur scripta, ab uno eoque praestantissimo viro esse composita, similiterque de Kâtyâyano, Âpastambo aliis sentiendum, aut contra statuendum, uti neque Mânavakalpasûtram, neque Mânavadharmaçâstram neque quaecunque alia sub Manus nomine Indi venerantur, ab uno Manu esse conscripta constat — nam hoc certum est *r*shis personas esse mythicas, neque Vasish*t*hum neque Viçvâmitrum neque Bh*r*gum homines umquam fuisse — contra omnia ea in usum gentis Mânavae vel cara*n*i Mânavi (fortasse ab hominibus ex hac gente, cara*n*o) literis esse mandata; sic de libris, quorum titulo praepositum est *Âçvalâyana-*, *Kâtyâyana-*, *Âpastamba-* etc. nil liquere, nisi quod Âçvalâyanorum, Kâtyâyanorum, Âpastamborum etc. mores, iura, ritum contineant. Utrum praestet, iudicium sit penes lectorem; hoc tantum addere velim, si huiusmodi librorum meros respexeris titulos, ambigua eos interpretatione tibi visum iri; Âçvalâyanag*r*hyasûtra et „cetera de genere hoc" non solum appellari possunt ea, quae ab his viris composita sunt, sed etiam ea quae in

---

videri, ut tolleretur ἀπορία, quae est in loco nostro, propterea quod quae praecedunt âcâryorum nomina casu nomin. posita videntur esse, a voce vero *Kaholam* ad *Âçvâlâyanam* casu accus. Multo verisimilior, mea quidem sententia est interpretatio, quae in Lex. Pet. datur, non acc. masc. sed nom. neutr. *Kaholam* [et ea quae sequuntur, ut par est] esse statuente; brâhma*n*a tum significant ea vocabula, atque huiusmodi libros pro âcâryis haberi putandum est.

harum familiarum usum sunt comparata. Quamquam unum alterum non excludit. Iam manifestum est suo iure Kâtyâyanorum familiam commentarios suos domesticos Kâtîyagṛhya nuncupasse, cum eiusdem familiae çrauta Kâtyâyanaçrauta audiant; *îya* enim in didascalonymicis aeque valet atque *âyana* (cf. e. g. *Taittirîya* cum *Baudhâyana*). At Kâtîyagṛhya Pâraskarus scripsisse perhibetur; quod totum est a me. Solus est Pâraskarus gṛhyorum scriptor, cuius nomen proprium nobis est servatum (uno Gobhilo excepto); cetera omnia familiarum sunt nomina [1]). Sed paulum refert eorum nomina nosse qui haec compendia scripserint; nihil enim de suo addebant; ea exponebant, quae iam per infinitum tempus usurpabantur.

Iam alia oborta est quaestio, utrum in caraṇi an in gentis usum hi commentarii comparati sint? De kalpasûtris illud constat; e Mülleri enim libro passim didici, et e novis kalpasûtris nova caraṇa exorta esse, et nonnumquam plura caraṇa iisdem sutris uti; de gṛhyis idem statuendum esse videtur, e loco commentarii ad Pârask. gṛhy. quem vid. apud Müller l.l. pag. 50, patet. Quodsi res aliter se haberet, quo pacto nonnulla gṛhya tantam sensim auctoritatem nacta essent, ut eorum praecepta a plurimis observarentur, ut de Âçvalâyano constat, intellegi non posset. Tum a suis praeceptis Âçvalâyanus nonnumquam abhorrentis *kuladharmasya* mentionem facit, ut Gṛhy. I, 17,1: „*tṛtîye varshe caula*m *yathâkuladharma*m *vâ*" „Anno tertio tonsio [nem fieri oportet],

[1]) Cf. Weber Stud. Ind. V, pag. 337 ann. (***) et duae annotationes ad pag. 339 ubi Kâtyâyani nomine auctorem interdum designare scholiastam ad Pâraskaragṛhya traditur.

vel, ut ius est gentis" et I, 17, 18: „*yathâkuladharma*m *keçaveçân kârayet*" i. e. „more gentis suae capillos comere iubet [sc. tonsorem]." Ubi *kula* idem esse atque *gotra* verisimillimum est collato loco Gṛhyasangrahi, quem primus Roth, tum Müller l.l. pag. 53 protulit:

*dakshi*ṇ*akapardâ Vâsish*ṭh*â Âtreyâs trikapardina*ḥ
*Angirasa*ḥ *pañcacû*ḍ*â mu*ṇ*dâ Bh*ṛ*gava*ḥ *çikhino'nye*

i. e. „Vâsishthâs in modum conchae exstructos capillos a dextra habent, Âtreyi tres huiusmodi conchas, quinque toto capite crines sunt Angirasis, toto capite tonsi Bhṛgavi, aliis in vertice capitis una est crista." Eodem pacto in Baudhâyanaprayogo, pag. 4, a legimus: *yathâkulâcâraprâptakâlo vâ'nnaprâçanakâla*ḥ, i. e. „primi cibi initiationem etiam eo tempore fieri licet, quo mos est familiae." Ex his simul apparet, diversitatem morum inter *gotra* (gentes) minime deesse, perinde atque apud Romanos Varro auctor est „in Serranorum familia *gentilicium* esse feminas linea veste non uti" (Plin. H. N. XIX, 1, 2) et aliunde scimus, ante Sullam neminem e gente Cornelia crematum esse (vid. Plin. H. N. VII, 54; Cic. de Legg. II, 22); alia huiusmodi vide apud Beckerum: „Röm. Alterth." II, 1, pag. 49.

Quamquam igitur multa sunt in quibus gentes, multa in quibus scholae vedicae, ideoque gṛhyasûtra discrepant, hoc tenendum est, in summa rerum omnes conspirare, atque quae Indi vocant *pradhânakarmâ*ṇi sc. ceremonias principes omnibus esse communes. Neque in comparandis cognatorum populorum ceremoniis alio modo versari oportet; non in singulis exspectanda est concinnitas, verum ea, quae ceremoniae naturam faciunt, sine quibus esse non potest, apud omnes populos âriae stirpis initio valuisse,

mihi quam maxime persuasum est. Sic etiam iudicat is, quem sûtra penitus nosse nemo negabit, Stenzler: „Die bedeutendsten dieser Handlungen, namentlich die Gebräuche des Familienlebens, scheinen in allen Grhya-sûtra wieder zu kehren und ursprüngliches Eigenthum des ganzen Arischen Volkes zu sein, obwohl sich auch in ihnen manche Verschiedenheiten zeigen, je nach den verschiedenen Vedas oder Çâkhâs, zu welchen die Sûtra gehörten." (Zeitschr. der deutsch. Morg. Gesellsch. VII, pag. 527 sq.) Cum vero sit factum, ut ceterorum veteris moris ritusque commentarii aetatem non tulerint, quaecunque ex hac antiquitatis parte undique corrasa habemus, e legibus, scriptoribus, monumentis, fragmenta sunt habenda pluraque nos nescire, quam forte fortuna servata esse agnoscendum. Ex Indorum vero commentariis pergentibus fundamenta sunt iacienda „historiae morum apud populos Indogermanae stirpis", hac via si inquiratur, spem fovere licet, fore ut aliquando morem maiorum non solum maiore ex parte nosse, sed etiam rectius intellegere valeamus. Quod quale sit, haecce specimini sit dissertatio. Quodsi non nimis me a scopo aberrasse aestimabunt ii, penes quos harum rerum est iudicium, haud poenitebit me neque temporis neque laboris in ea conscribenda consumpti.

§ 2. Antequam propositum meum aggrediar, paulo uberius dicendum erit de fontibus, unde materiam sumpsi. Singulari enim qua est benevolentia vir cl. Kern discipulo non solum numquam defuit hocce opusculum componenti, verum etiam cum alios libros commodavit, tum sex libris manuscriptis iisque haud exigui momenti ut uterer permisit. Ex his duo sunt Pâraskara-g*r*hyasûtrorum. Alter 37 foll.

oblong. constat, praeter primum ex utraque parte conscriptis manu pulchra et firma. Corruptelis et mendis minime vacat, hac in re deterior, quam collega, qui et vetustate eum superare videtur. Interpunctionis notae, praeterquam capitum distinctiones diligenter servantur, neglectae. Incipit his verbis: *çrîGa*neç*âya nama*h, *om athâto g*r*hyâ*ni; in fine libri primi legitur: *iti çrîPâraskarag*r*hyasûtre prathama*m [1]) *kâ*nd*am samâptam,* in fine libri secundi: *iti çrîPâraskarâcâryag*r*hyasûtre dvitîya*m *kâ*nd*am*; in fine totius opusculi: *iti çrîPâraskarâcâryaviracite g*r*hyasûtre t*r*tîya*m *kâ*nd*a*m *samâptim agamat, çubha*m *bhavatu, sa*m*v.* 1891, *âshâ*dh*açukla*(!) 2 *bhaumavâsara*h(!), i. e. „die Martis, m. Ash. die 2⁰ lunae crescentis anni 1834 aer. nostr.

Alter, scriptura vetustiore, satis pallida, charta attrita, colore aetatem indicante, literis grandioribus, 56 foliis *Kâtîya*-(ut in fine libri secundi et tertii) sive *Vâjasaneyag*r*hyasûtram* (ut in fine libri primi legimus) continet [2]). Folia 3 et 31 deficiunt. Initio praescriptum est: *çrîGa*ne*çâya nama*h, *çrî Sarasvatyai nama*h. Brevitatis causa hunc codicem B., illum A. appellabimus.

In utroque codice nonnulla insunt, quibus caret codex Berolinensis. Cuius cum copiam non haberem in conferendis meis ea usus sum descriptione, quam fecit Stenzler in „Zeitschr. der deutsch. morgenl. Ges." VII, 527 sqq., et ita fecit, ut singulorum capitum argumenta indicaret vel

[1]) In codice est *kânda*, sed universe hic moneo, ubi manifestum aut lapsum calami aut errorem scribae tollere liceret, tacite me hoc fecisse; non enim operae pretium esse somniantium vel defessorum scribarum portenta referre.

[2]) Vid. supra pag. 14, ann.; cf. etiam Stenzler „Zeitschr. d.d. morg. Ges." VII, pag. 529.

exponeret, libri secundi autem cap. 1—3 integra exscriberet. Ac primum post caput 12 libri primi duo sequuntur capita in meis, quae apud Stenzlerum desunt. Ceremoniam garbhâdhâni continent, aliaque huc pertinentia, sed non eodem uterque ordine, nam quod in B cap. est 13um in A est 14um, et invicem. Nihilominus interpolata esse mihi non videntur; cum enim nihil sit in verbis, quod huic suspicioni faveat, haud inepte iis capitibus expletur lacuna, quae inter caput 12um (sacrificium liberorum creandorum causa peragendum) et cap. 13um Stenzleri, in meis codicibus 15um (ubi monentur, quae facienda sint, si mulier non conceperit) intercedere videtur, deinde si genuina non essent, non descripsisse eam ceremoniam putandus esset Pâraskarus, quae in numero sa*m*skârorum habetur, neque etiamnunc fieri desiit, quippe quam explicaverit Pa*n*/ita Yajñeçvaraçarmâ in libro, cui nomen est *Âryavidyâsudhâkara.* — Has ob rationes, simul, ut futurus Pâraskaragrhyi editor ea in rem suam vertere posset, haud abs re arbitrabar integra duo capita exscribere, eum secutus ordinem, quem exhibet codex B.

Cap. XIII (XIV A.) *atha garbhádhána*m *striyá*h *pushpavatyáç caturahád úrdhva*m *snátvá* (a) *virájáyá*h. *tasminn eva divá „ádityam garbham"* [V. S. 13, 41] *ity ádityam avekshate. grhe vá snápayitvá tám abhigacched iti çrute*h. *tasmin prajáyá*h *sambhavakále niçáyám kuryát. yadi divá maithuna*m *vrajet* (b) *klívá alpavíryá alpáyusháçca prasúyante. tasmád etad varjayet putrakámo grhí çrutismrtivirodhábhyám. dakshinena pánina úrú prasárya prajásthánam abhimrçati*

*„Púshá bhaga*m *Savitá me dadátu Rudra*h *kalpayáti* (c) *lalámagum.*
Vishnur yonim kalpayatu Tvashtá rúpáni pimçatu
*ásiñcatu Prajápatir Dhátá garbha*m *dadhátu te.*

garbham dhehi Sinîvâli garbham dhehi Prthushtuke
garbham te Açvinâv ubhâv âdhattâm pushkarasrajau."
iti (d) *„tejo Vaiçvânaro dadyât". atha brahmâ 'numantrayate* (e) *„Brahmâ garbham dadhâtv" iti. prâñmukha udañmukho vopavishto manthayate* (f) *„retomûtram"* [V. S. 19, 76 aut 84] *iti caike srâvanam kuryât."*

a. In cod. A. est *snâpayitvâ*, ortum sine dubio negligentia scribae somniantis. — b. A. *vraje*, quod nihil est. — c. Hoc recte. A. habet *kalpayati.* — d. Ante vocem *tejo* A. exhibet *samsrjethâs*, quod vocabulum sententiam turbare videtur. — e. Praestare videtur lectio cod. A. Omisso vocabulo *atha* habet *Brahmânam âmantrayate;* nam deum Brahmanem h. l. invocari verisimile, non neutrum *Brahma.* Opponuntur enim inter se Brahmâ et Vaiçvânarus (Agnis). — f. *manthayate* deest in A.; utrum recte annon nescio.

Cap. XIV. (XIII A.) *athartumatîm jâyâm adhigacched.pindapitryajñena yajeta.madhyamapindam patnî prâçnâti putrakâmâ. tata etâm âhutim juhoti „âdhatta* (a) *pitara" iti. alankâram avajighraty „âyantu na" iti* (b) *japitvâ hrdayam âlabhya pûrvavat savyena pâninopastham abhimrçati „Bhaga pranetar" iti „prâg utedânîm" iti „retomûtram" iti samdhatte gâyatreneti pratimantrena manthayati.putrakâmo 'bhigacchen nityam.*

a. Sic mutavi utriusque codicis *âdhata.* — b. Pro verbe *japitvâ* codex A. exhibet: *japaty evam. athartumatîmjâyâ*, lectionem procul dubio vitiosam. Sed etsi praestat ea, quam ex cod. B. recepimus, nondum mendis purus est locus.

Si recte video, ceremoniae his capitibus duae describuntur, non duae unius formae; propterea quod garbhâdhânum primo die post menstruorum intervallum fieri dicitur (id satis indicatur verbis: *caturahâd ûrdhvam*°) *r*tusa*m*veçani contra aliud est tempus. Deficiente commentario nonnulla sunt, de quorum significatione mihi non constat; sic nitio cap. 13ii verba *tasminn eva* parum intellego; aptissime

mihi videntur ad vocem *garbhâdhânam* referri. In iis, quae mox sequuntur *tasmin prajâyâ*h *sambhavakâle*, vox *tasmin* praecedens spectat *gṛhe*, reliquis tempus indicatur faustum ad liberos procreandos, quale in astrologiae libris explicari solet. — In versu *Pûshâ bhagam*° quibus expleatur metrum duae desiderantur syllabae.

In cap. 14° notandum est, vocem *savyam* idem valere, atque quod in 13° inest, *dakshi*n*am*. Quod enim *apasavya* interdum respondet latino „sinistrum" vel proprie id designat, quod sinistrorsus vergit, movetur, id eo factum est, quod *savya* non solum vocatur id, quod est a laeva, sed etiam quod inde dextrorsum movetur, i. e. dextrum. In loco Sûryasiddh. 12,55: „*savya*m *bhramati devânâm apasavya*m *suradvishâm*", quem citavit Lex. Pet. s. v. *apasavya*, hanc, non illam vim esse vocis *savya* manifestum est; similiter apud nostrum; dubium tollit omne addita vox *pûrvavat*, i. e. „ut supra memoratum est." sc. in cap. 13; [1]) ibique scriptum exstat *dakshi*n*ena pâ*n*inâ ûrû prasârya*°. At *pûrvavat* in gṛhyis tritissimo usu de iis dicitur, quae in çrautis de simili re exposita sunt. Quod tamen h. l. nullum est, nam garbhâdhânum non describitur in çrautis. — In fine huius capitis verba *pratimantre*n*a* et *manthayati* obscuriora sunt; ea interpretari non ausim.

Post caput 16um cod. Berol. (18um A. et B.) in codice A. tria sequuntur capita (19—21), quae in ceteris desunt; primum incipit his verbis: „*athâto yamalajanane*

---

[1]) Hoc movit me, ut ordinem codicis B praeferrem, garbhâdhâni descriptionem ṛtusa*m*veçano praeponerem.

prâyaççittam vyâkhyâsyâmah", secundum: „*atha yamalacarum Mârutam vyâkhyâsyâmah*", tertium „*athâto mûlavidhim vyâkhyâsyâmah*". Longum est haec tota exscribere, atque verendum ut genuina sint. Nam et sermo paulo uberior, quam sutrorum solet [1]) et in prioribus duobus una eademque tractatur ceremonia, brevius in cap. 20mo. Tum cap. 19mi et 21mi ultima verba bis sunt posita, illud enim concluditur: „*çântir bhavati çântir bhavati,*" hoc: *esha eva vidhih Kâtyâyanenoktah Kâtyâyanenoktah*. Ex iis autem, quae Nâr. in annot. ad ultimas singulorum Âçv. Gṛhyas. librorum paragraphos monet, scimus tali verborum repetitione finem libri (*adhyâya*) indicari solere. Iam hoc igitur consecuti sumus, fieri non posse, ut cap. 19um et 21um unius libri (*adhyâya*) sint partes. In universum de iis sic sentio: ex aliis libris in Pâraskari contextum irrepsisse videntur.

Secundi libri quae ordinem ducunt tria capita quoniam Stenzlerus l.l. integra edidit, accuratius cum meis codicibus conferre licebat; ex qua collatione comperi, in cod. A. capiti primo nonnulla addi de „aurium perforatione", (*karnavedha*), quae cum haud magnum spatium impleant, h. l. profero: „*atha karnavedho varshe tṛtîye pañcame va, pushyenducitrâharirevatîshu. pûrvâhne kumârasya madhuram datvâ pratyañmukhâyopavishtâya dakshinam karnam abhimantrayate bhadram karnebhir iti savyam vakshyantî vedeti ca. atha bhindyât. tato brâhmanabhojanam.*" In his verba „*bhadram karnebhir*" et

---

1) v. c. in fine cap. 19 post verba „*brâhmanân bhojayitvâ*" sequitur *svasti vâcyâ'çishah pratigṛhya*, quae prolixitas in prayogis et paddhatibus exspectatur; similiter in fine cap. 20i legimus *tad eva tantram samâpya tato brâhmanabhojanam.*

„vakshyanti veda" mihi videntur coniungenda esse, ut fiat versus trishṭubh: *„bhadram karnebhir vakshyanti vedâh,"* mutata vitiosa codicis lectione. Totum hunc locum additicium esse linea rubrica, qua ab reliquo capite distinetur, fortasse indicio est.

In cap. 2° inter verba *tûshnîm* et *dandam* (vid. Stenzl. in Zeitschr. d.d. Morg. Ges. pag. 533, reg. 23) haec in utroque codice intercedunt: *„vâ. yajñopavîtaparidhânam.*

yajñopavîtam paramam pavitram prajâpater yat sahajam purastât âyushyam agryam pratimuñca çubhram yajñopavîtam balam astu tejah yajñopavîtam asi yajñasya tvâ yajñopavîtenopanahyâmîti. athâ'jinam prayacchati Mitrasya cakshur dharunam balîyas tejoyaçasvi sthaviram samiddham anâhanasyam vasanam jarishnuh parîdam vâjinam dadhe'ham iti."

An initio legendum *atha yajñopavîta°*; praecedit enim in l.l. Stenzleri *tûshnîm*, charact. autem nâgarici literas *a* et *m* sicuti *th* et *v* haud raro confundunt. — Pro *samiddham* legendum *samrddham;* — Vocabulum *jarishnu* licet adhuc nondum repertum sit, analogia tuetur et linguae Sanscriticae natura; significat id quod inveterascere solet, igitur „diuturnum, longaevum". Sed et neutr. *jarishnu* nostro loco placeret.

Novum caput inter tertium et quartum uterque codex exhibet, quod subiicimus.

Cap. IV. *„atra* (a) *samidâdhânam. pâninâ'gnim parisamûhaty Agne suçravah suçravasam mâ kuru yathâ tvam Agne suçravah suçravâ asi evam mâ suçravah sauçravasam kuru*

yathâ tvam Agne devânâm yajñasya nidhipâ asi
evam aham manushyânâm vedasya nidhipâ bhûyâsam [an genuinum *„vedasya nidhipâ asam"?*]

iti pradakshinam agnim paryukshyottishthan (b) *samidham âdadhâti. Agnaye samidham âhârsham brhate jâtavedase yathâ tvam Agne samidhâ samidhyasi evam aham âyushâ medhayâ varcasâ prajayâ paçubhir brahmavarcasena samindhe* [cf. Âçv. Grhy. I, 21, 1],

jîvaputro mamâ'câryo medhâvy aham asâny anirâkarishnur yaçasvî tejasvî brahmavarcasy annâdo bhûyâsam svâhety evam dvitîyâm tathâ tṛtîyâm „eshâ te" [V. S. II, 14] *iti vâ, samuccayo vâ. pûrvavat parisamûhanaparyukshane. pâṇî pratapya mukham vimṛshte: tanûpâ'gne 'si tanvam me pâhi, âyurdâ Agne 'sy âyur me dehi, varcodâ Agne 'si varco me dehi Agne yan me tanvâ ûnam tan ma âpṛna; medhâm me devah Savitâ 'dadhâtu medhâm me devî Sarasvatî âdadhâtu medhâm Açvinau devâv âdhattâm pushkarasrajâv iti. angâny âlabhya japaty angâni ca ma âpyâyantâm vâk prânaç cakshuh çrotram yaço balam iti. tryâyushâṇi karoti bhasmanâ lalâṭe grîvâyâm dakshine 'mse hṛdi ca tryâyusham iti pratimantram.*

(a) mentione dignus est error cod. B. *mantra* pro *atra* exhibentis; (b) Sic correxi codicum lectionem *uttishtam.*

In libro tertio nihil inter se discrepare videntur cod. Berol. et mei uno capite excepto, quod in ceteris deest, in cod. A. capita 4um et 5um interiacet, hoc exordio: *athâ'to vâpîkûpataḍâgârâmadevâyatanapushkariṇyâm pratishṭhâpanam vyâkhyâsyâmah."*

Transeamus ad codicem, quem secundum Kâtyâyanorum ritum saṁskâros explicantem itaque cum Pâraskari gṛhyis cohaerentem tertio loco describemus. Est e numero eorum librorum, qui paddhatis nomine gaudent, neque sine fructu ad explicandum aridum et ambiguum gṛhyorum sermonem adhibentur, quod ipse cum meo commodo expertus sum. Folia continet Saṁskârapaddhatis 126, praeter primum et ultimum ex utraque parte literis pulchris et grandioribus, scriptura eleganti conscripta. Singulae paginae senas tantum habent regulas. Corruptelis abundat, praesertim ubi suis verbis utitur; haud pauca enim sunt, quae iisdem fere ver-

bis, modo paulo uberius, atque in Pâraskari g*r*hyis traduntur. Sed et alii libri citantur, imprimis *kárikâ*. Scripsit Gangâdharus quidam e familia Vâtsyâyanorum, ut e praefatione et conclusione libelli discimus. Praefatio est metrica; sic se habet: „*om namah crîGaneçâya namah*

çrî Nrsimham Çivam natvâ mathâmbâm ca Sarasvatîm
Ganeçam pitarau Kâtyâyanâdîn KarkaRenukau
Râmâgnihotriputrasya putro Gangâdharâbhidhah
paropakrtyai kurute gadyaih Samskârapaddhatim

i. e. Vishnum, Çivum veneratus monasteriique matrem Sarasvatim, Ganeçum, parentes, Kâtyâyanum et ceteros qui cum eo sunt, Karkum et Renukum, Râmâgnihotrinis nepos Gangâdharus qui appellatur, in aliorum beneficium oratione soluta facit Samskârapaddhatim." Karkus autem et Renukus duo sunt commentatores sutrorum aliorumque, quae ad Vâjasaneyasanhitam pertinent scripta (cf. Lex. Pet. s. v. *Karka* et *Renukâcârya*).

Finem faciunt duo versus, unus metro trishtubh, alter çardûlavikrîdito compositi. Pessime sunt corrupti; sed ope v. cl. Kerni partim, pauca et ipse emendare potui. Sic se habent:

yathottarâni samvîkshya yathâmati mayoditam.
uktâ'nuktam duruktam yad (a) *atra çodhyam tad âryakaih* (b)
yo (c) *Vatsyâyanavamçabhâlatilako* (d) *Râmo* (e) *nv* (f) *abhûd bhûtale*
tatputro vasudhâm (g) *nijena yaçasâ Dâmodaro 'mandayat* (h)
tatputro vidadhau (i) *trayodaçasu samskâreshu gadyair rju*
viprânâm upakâra eva nirato Gangâdharah paddhatim.

(a) In cod. invito metro, sententia nulla *uktânuktaruktam ca yad;* iis, quae eorum loco reposuimus fortasse praestat dvandvacompositum *uktânuktaduruktam yad;* — (b) cod. *âyakaih*; — (c) cod. *yâ;* — (d) cod. *lâlati-*

lako; — (e) cod. *çamo;* — (f) Litera *n* in codice deest. Si recte mutavimus, metri explendi gratia particulam *nu* h. l. intrusisse videtur scriptor. Fortasse legendum est *hy.* — (g) cod. *vasudhâ;* — (h) cod. *mandayan;* sin manu scriptoris, minus accurate; — (i) In cod. est *tatputro yatro vyadhâ trayo°. yatro* e dittographia ortum videtur; aor. *vyadhât* h. l. non ferendus.

id est: „Quantum calleo, rebus secundum ordinem perspectis, scripsi; ubi erraverim in iis quae enarravi, ubi quid memorare neglexerim, ubi rem male exposuerim, benevoli lectores emendare velint. — Qui Râmus, Vâtsyâyanorum familiae decus [vel potius, si vis: decori; *bhâlatilaka* propr. est „frontis ornamentum",] in terra fuit, eius filius Dâmodarus sua ipsius fama terram ornabat; huius autem filius Gangâdharus brâhma*n*orum commodo studens, oratione soluta recte ad tredecim sa*m*skâros composuit paddhatim."

Notandum h. l. tredecim sa*m*skârorum numerum proferri, cum in sa*m*skârorum serie (*samskârakrama*) quae exhibetur in initio libelli, e *kârikâ* quadam desumpta:

garbhâdhânam pumsavanam sîmantonnayam tathâ
jâtakarmâ'bhidhânam ca nishkramah prâçanam kramât
cûdopanayanam vedavratânâm caturashtayam [l. *ca catushtayam*]
godânam mekhalonmoksho vivâhah shodaçah kramât

sedecim enumerentur. Accuratius vero inquirentibus discrepantia tollitur; vota enim quatuor, quae in vedavratorum ceremonia suscipiuntur vel pro uno vel pro quatuor computare licet; hoc *kârikâ* illud scriptor fecit. Sed et plures nonnumquam memorantur sa*m*skâri, sc. viginti quinque; ut in versibus mox laudandis, qui Angirasis nomine feruntur; verum ibi computantur sacrificia novem, quae ab aliis, v.c. a Gangâdharo nostro, a Nâr. ad Âçv. G*r*hy. I, 1, 2, in Âpastambîyaprayogo pag. 1 inter sa*m*skâros non habentur;

sunt septem pâkayajñi (qui cum alii traduntur atque quos in loco Âpast. prayog. supra (pag. 4 ann.) exscripsimus tum pârva*n*am in iis non inest) [1]) pârva*n*am, quod sacrificium fit diebus novae et plenae lunae; nonum obtinent locum *pañca mahâyajñâs* quinque sacrificia magna, sive ritus quotidianus. Eodem pacto quadripertitos esse sa*m*skâros declarat Âçvalâyani versus [2]) quem vide in Prayogar. pag. 2 et Âryavidyâs. pag. 95; *nityâs* (sempiterni) fiunt quotidie, *pârvanam* est *mâsikam* i. e. singulis fit mensibus vel dimidiato quoque mense, *vârshikâs* (sollennes) sunt septem pâkayajñi; reliqui sedecim appellantur *naimittikâs*, i. e. qui non certo tempore sed pro re nata fiunt. Hi proprie sa*m*skâri sunt putandi, atque optime respondent iis, quae in ecclesia Catholico-Romana appellantur *sacramenta;* sunt enim ceremoniae, quae in variis vitae stationibus corporis sacrandi vel lustrandi (id enim valet verbum *samskr*) causa fiunt, ut est in distichis, quae exstant in Prayogar. pag. 87,a, in.

atah param dvijâtînâm samskrtir niyatocyate
samskârarahitâ ye tu teshâm janma nirarthakam
pañcavimçatisamskâraih samskrtâ ye dvijâtayah
te pavitrâçca yogyâh syuh çrâddhâdishu suyantritâh

„Nunc dicitur de lustratione (sacratione) bis natis [3]) praescripta; qui vero a sacramentis abstinent, nequicquam hi

[1]) In pâkayajñorum numero, quem tradit Gautamus (vid. Mull. Zeitschr. d.d. morg. Ges. IX, pag. LXXIII) pârva*n*am iam inest; non plures tamen enumerantur quam septem.

[2]) Paulo infra in Prayogar. l.l. alius versus affertur additis verbis: *ity Âçvalâyanasmrtih*. Sine dubio igitur e dharmaçâstro quodam, cui Âçvalâyani inscriptum est nomen, haec sunt desumpta.

[3]) Verbo tantum moneo (nam res nota est) bis natos appellari homines trium superiorum ordinum, postquam initiati sint.

sunt nati; ii, qui bis nati viginti quinque sacramentis lustrati sunt, puri sunt et quippe qui bene semet moderent ad çrâddham aliasque ceremonias apti." In gṛhyasûtris vox *saṁskâra* occurrere non videtur; neque enim in iis, quorum inspiciendorum mihi copia erat, reperi, et efficio e verbis Stenzleri l. l. pag. 529 — quibus ceterum non ex omni parte assentior — monentis: „dass in den Gṛhyasûtra vorzugsweise das Bestreben hervortritt, die alte Volkssitte festzuhalten, während in den Dharmaçâstra [unde et disticha nostra fluxisse verisimile est] sich daran die Vorstellung knüpft, das diese Gebräuche Sacramente (*saṁskârâs*) sind, duch deren Vollziehung der Mensch von der Erbsünde [sic] gereinigt werden soll." [1]) Generale verum nomen, quo omnia in gṛhyis sacra domestica appellari videmus, est *pâkayajña*. Itaque, uti modo vidimus septem, qui strictiore sensu pâkayajñi vocantur, inter saṁskâros haberi, sic Nârâyaṇus contra ad Âçv. Gṛhy. I, 1, 2, ubi duplicem adiectivi *pâka* interpretationem proponit [2]) sive

[1]) Minime inde colligendum est, vocem *saṁskâra* eo quo conscribebantur gṛhyasûtra tempore vim „sacramenti" nondum induisse; neque enim natura neque commoda ceremoniarum in gṛhyis exponuntur, solum ritum spectantibus; τὸ τί curant, non τὸ διὰ τί neque τὸ τοῦ ἕνεκα. Hoc ita est verum, ut nisi raro ceremoniam vel sacrificium iubeant, tritumque sit in iis huiusmodi capitis initium: „*atha*" vel „*atha* ...... *vyâkhyâsyâmaḥ*" i. e. „nunc sequitur" et „nunc explicabimus." Ob eandem rationem argumentum, quo nisus M. Müller „Hist. of Anc. Sk. Lit." pag. 206 sq. sâmayâcârikasûtrorum aetatem post gṛhyorum ponit et çrautorum, nullum est. Quid enim? Expressis sâmây. verbis quartae classi upanayano interdicunt; in reliquis sutris implicite tantum, ut aiunt, id praecipitur. At hoc argumenti factum est diversitate, non aetatis.

[2]) Contra vulgatam opinionem aliam proposuit Stenzlerus etymologiam vocis *pâkayajña*, quam vide in eius ed. Âçv. vers. german. pag. 2 sq. Si huic credis derivationes, quas tradunt scholiastae, commenticiae essent

parvum (*alpa*) sive bonum (*praçasta*) praestet, ambigens, in hanc partem affert, recte bonos appellari pâkayajños, quod et saṁskâros contineant, esse autem saṁskâros *garbhâdhânam* et alia huiusmodi, i. e. ea, quae in Âçv.smṛti modo vidimus *naimittikâ*h *saṁskârâs* appellari. Sed iam satis longam fecimus digressionem. Hoc tantum addito, ubi sacramentorum voce in hocce opusculo usi erimus, semper *naimittikâs* dici, redeamus ad codices nostros.

Quorum qui est quartus, commentarium continet Nârâyaṇi ad Âçvalâyani gṛhyasûtra, iam semel et bis a nobis laudatum. Habemus eum iam editum in Biblioth. Indica textui, quem interpretatur, adiectus; merum codex continet commentarium, primis tantum et ultimis verbis singulorum sutrorum de more appositis, perque lineolas rubras subiectas distinctis. Totum codicem cum editione conferre adhuc per tempus mihi non licuit; pauca et huc ferentia examinavi. Varietatem lectionum haud exiguam esse, etsi raro

---

primaque pars compositi *pâka* substantivum foret vi „coquendi" sive „coctionis," itaque sacrificia, ad quae peragenda coctione opus esset, septem quae angustiore sensu pâkayajñi putantur initio sic appellata esse contendit vir clarissimus, sensimque nomen in omne genus sacra domestica esse tractum, in ea quoque, ubi coctio non fiat. Caute sane hanc edit sententiam. Praetervidere mihi tamen videtur vir clar. vocabulum *pâka* non idem esse atque *pakva*. Quare ab Indis propositam etymologiam sequi praestat. Quem autem affert Stenzler versum ex Çânkh. Gṛh. I, 1, 15: *pâkasaṁsthâ havih̄saṁsthâh somasaṁsthâs tathâparâh*, in eo profecto, cum vocabula *havih̄saṁsthâh* et *somasaṁsthâh* bahuvrîhi sint composita, et *pâkasaṁsthâh* sic explicandum esse consentaneum est. *Pâka* igitur in hoc versu necessario est *sthâlîpâka* „coctio" „cibus coctus". Cum res ita sese habeat, duo sint vocabula *pâkayajña* necesse; alterum compositum e *yajña* et subst. *pâka* = *sthâlîpâka* septem designans pâkayajños qui coctione fiunt, alterum compositum e *yajña* et adi. *pâka* totum genus gṛhyorum significans. Verum enimvero adi. et subst. *pâka* in unum confundere non licet.

sententiam mutet, compertum habeo; cum autem editio Calcuttensis erroribus preli parum sit libera, interdum sententiam turbatam e codice restituere potui. Exemplo erit scholium ad I, 17, 2. Ibi explicatur sûtrum, in ceremonia quae cau*d*a appellatur praecipiens, ut oryzae, hordei, fabarum, sesami impleantur vasa; monet autem Nâr. non confundi oportere ea grana, sed generatim in singula vasa iniici, non igitur, sicuti fit in butyro liquefacto et melle, quae commixta comeduntur. Verum in editione ea sic leguntur: *anyathá* (i e. si interpretatio mea minus recta esset) *samásopadeçán miçritánám prâçanam syát. yathá sarpirmadhuní hiranyanikásham ity amiçritánám prâçanam.* Ultima verba ipsum illud negant, quod dicere Nârâya*n*um consentaneum est. At codex noster pro *ity amiçritánám* exhibens *ity a*[*tra*] *miçritánám* verum nobis reddet commentatorem. In alio loco, ad I, 13, 2, pag. 60 reg. 7 editionis verba: *ná 'sarupavatsám tyajed ity evam artham. iti páthántaram na sarúpavatsám tyajed ity evam artham* si quis diligenter perlegerit, proximorum ratione habita, priorem partem, nimirum usque ad *na sarúpa*° ex annotatione critica nescio cuius in contextum irrepsisse, coniiciet; codex, haec ipsa verba omittens, coniecturam probabit. In ann. ad III, 2, 1, pag. 157, reg. 1 edit. scriptum exstat: *uktam ca „á pamnam api dátavyam á káshtham api juhuyát;"* in his *pamnam* quid sit, frustra quaeres; errorem preli tollet codex, in quo *patram* exaratum esse videmus.

Folia continet 102. Initium faciunt duo versus, quorum alter et in editione primo sûtro praepositum est; prioris litterae pallidae, fere evanidae vel summa oculorum contentione verba incerta reddunt. Fini aliquot versus de suo apposuit librarius,

quibus postquam decantata cantilena *bhagnaprshtikatigrîvam stabdhaprshtham* [*hy*] *adhomukham,* (i. e. [se tam assidue] ore enim in chartam averso [librum exaravisse], ut fractae essent costae, femora, cervix, dorsum obtorpuisset) de labore sua questus est, a lectore postulat, ut talem librum sedulo custodiat.

kashtena likhitam grantham yatnena paripâlayet
tailâd rakshej jalâd rakshed rakshet çîtalabandhanât
mûrkhahaste na dâtavyam evam vadati Çâradâ

i. e. „Sedulo custodiatur liber, per aerumnas exaratus. Ne oleo inquinetur, cavendum, neve lacte, ne frigore afficiatur (?) ne opprimatur folia per funiculos inter se coniungendo. Stulto ne in manus tradatur. Sic loquitur Çâradâ." Nomen suum scriba paulo supra edit, et aetatem suam, nimirum: *çâke* 1574 *Nandananâmasamvatsare dakshinâyane Paushamâse çuklapakshe navamyâm Bhaumavâsare divâ Çaradânandanavamçodbhavena Çivabhattasutena Mahâdevenâ 'yam vrttyâkhyo grantho 'lekhi svârtham parârtham ca. Sâmba sadâ Çivârpanam astu lekhakapâthakayoh çubham astu.* i. e. anno 1652 (A. N.) cui anno nomen est Nandana [cf. Varâh. Mih. 8, 38], sole in eclipticae parte inferiore, mense Pausho, crescentis lunae die nono, die Martis interdiu explicit feliciter hicce liber, cui nomen est *vrtti,* exaratus a Mahâdevo Çivabha*tt*i filio e familia Çaradânandorum et ipsius et aliorum gratia. o Deus Sâmba! tibi, Çivo, semper committamus nos. Et scribae et lectori bene vertat."

Reliquos duos libros mss., quibus sum usus, id genus opuscula continent, quae prayogi appellari solent, Âpastambîyaprayogus alterum, alterum Baudhâyanaprayogus. Qui non eadem ratione eodemque consilio sunt compositi; cum enim in illo omnes ceremoniae domesticae exponantur,

hic de sacramentis, praecipue de iis, quae suo tempore ubi fieri non potuissent, in aliud tempus reiecta forent addito piaculo, satis copiose agit. Minime uterque spernendus est; quamquam enim in singulis nil certi inde colligere licet, in summa certe imaginem refert eius g*r*hyi, quod se secutum esse diserte scriptor uterque affirmat, eiusque, quod adhuc parum est notum; desunt enim in bibliothecis publicis, neque sunt edita. Accedit quod ad Nigrum quod vocatur Yajurvedum sese applicant, neque ullum, quantum scio, huiusmodi g*r*hyasûtrum adhuc exploratum est. Id vinculum, duos connectens prayogos in ipsis, quas describunt, ceremoniis, oculos tangit; etenim et in iis, quas hocce opusculo complexurus sum et in aliis interdum mirum in modum conspirare videntur, etiam si a ceteris g*r*hyis quam maxime distent.

Âpastambîyaprayogum quadraginta tribus foliis scriptura minuta et subpallida qui exhibet liber mscr., satis est vetustus, sa*m*vat 1641, i. e. anno 1584 aerae nostrae exaratus. Introductio est metrica, his verbis:

*Çrîga*ne*çâya nama*h

*Vâgîçâdyâ*h *sumanasa*h *sarvârthânâm upakrame*
*ya*m *natvâ k*r*takrtyâ*h *syus ta*m *namâmi Gajânanam.*
*ya Âpastambag*r*hye*na *çrutyartha*h *sa*m*pradarçita*h
*Sudarçanena vidushâ viv*r*to yuktimân ata*h
*sa Brâhmavidyâtîrthena sa*m*grahe*na *prakâçyate*
*sukhânush*th*ânasiddhyartham alpabuddhimatâm api.*
*yasya yâvat svag*r*hyokta*m *svalpa*m *vâ yadi vâ bahu*
*tena tâvati çâstrârthe k*r*te sarva*h *k*r*to bhavet.*
*iti sm*r*tibalenâ'nyadg*r*hyoktam* (a) *adhikam tv iha*
*nopasa*m*g*r*hyate* (b) *granthe nâ'jnânân necchayâ'pi vâ,*

*upasa*m*hrtya tu munir angâni krtavân yata*h
*sûtram tasmâc ca naiveshtam upasa*m*harana*m *tv iha.*

(a) In cod. est *anyat;* sed compositi prior est pars, itaque mutavi — (b) Syllaba *hya* a scriba omissa et in margine exarata cum chartae taenia inglutinata obtegatur, de meo reposui. Fortasse scriptum erat *samgrhîtam*, quod tamen metro vetatur.

i. e. „Veneror eum Ga*n*eçum, quem initio omnium negotiorum Sarasvatî ceteraeque divinitates veneratae proposita ad finem perducunt. Materiam, ex çruti desumptam, in Âpastambîyag*r*hyo expositam, quam copioso commentario instruxit Sudarçanus, vir sapiens, eam in epitomen redegit Brâhmavidyâtîrthus, ut et ii, quibus parva est doctrina, facile sacra perficere possent. Cum autem traditione enuntiatum sit, quantum in commentario ritus domestici insit, sive exiguum sive sit multum, tanto perpetrato totam rem divinam esse perfectam, idcirco quae in aliis g*r*hyis insuper memorentur, libro meo non inserui, neque per ignorantiam vel lubidine [id neglexi]; quoniam autem munis [Âpastambus sc.] sûtrum fecit, partibus per capitula recensis, ideo talis index in hoc libro non requiritur." — Concluditur his: *iti çrîparamaha*m*saparivrâjakâcâryaçrîBrahmavidyâtîrthaviracito grhyaprayoga*h. *Kâçyâ*m *likhita*m *Çrîpatipa*n*ditena Daçaputre*na *sa*m*vat* 1641 *samaye Nandananâmasa*m*vatsare Bhâdraçuklaikadaçyâ*m *çanau likhitam, çubham astu.* i. e. „Explicit g*r*hyaprayogus compositus a Brahmavidyâ tîrtho, summi gradus monacho, viro doctissimo. Exaratus in urbe *Kâçî* (Benares) a magistro Çrîpati Daçi filio anno 1584 A. N., cui nomen est Nandano mense Bhadro crescentis lunae die undecimo die Saturni. Quod bene vertat."

Maius implet spatium Baudhâyanaprayogus, 151 foliis

constans iisque pro forma oblonga satis amplis; scriptura luculenta, quam facile legas; errores haud ita crebri se offerunt lectori atque in ceteris, quos recensui libros mss. Pretium libri augent fragmenta, e multis scriptis corrasa, per totum librum distributa; hoc saltem lucramur in lenta, qua est nonnumquam prolixitate. Incipit his: *çrîGaneçâya nama*h. *çrîSarasvatyai nama*h. *nirvighnam astu. çrîmadbhagavadBaudhâyanâcâryebhyo nama*h

*vande v*r*ndârakâv*r*ndavanditânghrisaroruham;*
*vandârujanamandâra*m *vande 'ha*m *dviradânanam.*
vedâbdhyuddhatamuktâbhasûktigumphanahetave
*sûtra*m *cakâra yas tasmai namo Baudhâyanarshaye.*
sa jayati taporâçî (a) *Râmacandrasarasvatî*
*yadanghrismara*n*âd eva jâyate viçadâ mati*h.

*JyotishâvaniviçrutâbhidhaKeçavâgryatanûbhava*h (b)
*Çrautaviçvapati*h *samâçritaKâçiko* (c) *vibudhâdarât*
smârtakarmakalâpakoçam açesham apravikâçayan
*Suprayogaçikhâma*nim *karavâ*n*i bhûsurabhûsha*nam. [*tram*
*d*r*sh*t*vâ nibandhân bahuça*h *purâ*n*ân Baudhâyanâcâryak*r*ta*m *ca sû-*
*çish*t*âd*r*ta*m *jânapada*m (d) *vicârya svâcâram* (e) *ittha*m *vihita*h
[*prayoga*h.

(a) quod in cod. insequitur *çrî*, metrum turbans, delevi; (b) In codice: *Jyotishâviniviçritâ°;* (c) In codice: *samâhita;* (d) In cod. *jânapâdam*; (e) In cod. *svâvâram.*

h. e. „Laudo eum cuius pedes nymphaeae colorem referentes a deorum grege laudantur; laudo Ga*n*eçum qui laudatoribus tamquam Mandârus (coelestis arbor) est. Veneror Baudhâyanum vatem, qui, ut sertum componeret pulcrarum sententiarum, quas margaritarum instar ex Vedi Oceano sustulerat, sûtrum fecit. Aveto Râmacandrasaras-

vatî, vir religiosissimus; cuius si pedes tantum animo obversentur, mens pura fit. — Keçavi, cuius nomen clarum est in terra Jyotisha, filius natu maximus, Çrautaviçvapatis deorum reverentia Kâçim (Benares) profectus, etsi totam molem tot ceremoniarum domesticarum (smârtakarma) non illustraturus, (tamen) *Suprayogaçikhâma*n*im* [i. e. decus inter faciles prayogos] facere mihi proposui ornamentum brâhmanis. — Multifariis veteribus libris lectis, et sûtro, quod Baudhâyanus magister fecit, bonisque moribus exploratis, tam, quos observant bene morati, quam popularibus, sic composui prayogum."

Terram autem Jyotisham, unde familiam suam oriundam esse scriptor declarat, quam dicat, non liquet; plures enim regiones hoc nomine appellatae esse videntur, e quibus notissima terra Prâg-jyotisha, i. e. Jyotisha orientalis hodie Assam vocatur; alia est Uttarajyotisha (vid. Lex. Petrop. s.v. et loci ibi laudati). Fortasse et plures erant Jyotishae.

In finibus singularum opusculi partium haec fere sunt scripta: „*iti çrîKâçîvâsiKeçavabha*tt*asûnuÇrautaviçvapatibha*tt*ena k*r*te Baudhâyanîye Prayogaçikhâma*n*au* ..... *prayoga*h *samâpta*h." i. e. „Haec vel illa Baudhâyanîyi pars Prayogaçikhâma*n*is, quam scripsit Çrautaviçvapatis, vir doct. finita est"; in ultimarum partium, quae nuptias exponunt, finibus pro *Çrautaviçvapatibha*tt*ena* scriptum exstat *Çrautaviçvapatibha*tt*ais*, plurali honorifico. Post folium 151um ultimum nonnulla intercidisse mihi videntur; non enim absolvitur liber mscr.; sed cum in extremo folio nuptiae „feliciter explicuerint" absoluto simillimus est factus paucis verbis quae sequuntur, erasis, sed non ita, ut legere non possem. Est initium, ni fallor eius versus, qui libellum absolvit; haec enim servata sunt: „*Baudhâya-*

nagate sthitvâ garbhâdhâ......". Non igitur multa deesse videntur, neque magnopere dolendum, quod desunt.

Praeter hos libros manuscriptos Âçvalâyani g*r*hyorum utraque, ut par est, usus sum editione; priorem Stenzler, ut iam supra diximus, alteram in Bibliotheca Indica duo pa*n*-*d*itae recensuere; huic adiectus est commentarius Nârâya*n*i.

Itaque quatuor scholarum vedicarum ritum domesticum, quantum ad propositum meum ferebat, perscrutandi fuit copia, Âçvalâyani, Baudhâyani, Âpastambi, Pâraskari, ex quibus quem primum nominavimus inter *R*gvedi, duo qui sequuntur inter Nigri Yajusis, ultimus inter Albi Yajusis scripta liturgica computari solent. Aegre carui g*r*hyis Çânkhâyani et Gobhili, quae ad *R*gvedum et Sâmavedum trahuntur; Berolini asservantur in bibliotheca publica, necdum edita sunt; quae in his igitur peculiaria sint super ceremoniis, quas tractaturus sum, ignoro, si pauca exipiantur, quae Stenzler in ann. ad Âçv. vers.german. pag. 38 et 40 et Haas in Weberi Stud. Ind. V, pag. 362 divulgavere. Contra Prayogaratnum, anno 1861 editum in urbe Bombay, haud sine emolumento meo adhibui. Eadem ratione atque Âpastambîyaprayogus sed multo uberius quam hic totum ritum domesticum explicat plurima fragmenta ex antiquioribus proferens. Scriptorem Nârâya*n*um introitus metricus declarat, non quidem eum, qui Âçval. commentario exornavit; patrum enim differunt nomina; ex eadem vero familia fuisse videtur. Etsi compilatus est liber, Âçvalânayorum potissimum ritum sequitur, quod infra suo loco ostendemus.

Ex aliis literaturae generibus vix erat quod in meum usum verterem. Strictim, ut iam supra monuimus, tangunt ceremonias domesticas dharmaçâstra, similiterque purâ*n*a,

ut par est. Quae igitur in utroque genere ad manum erant, Manus leges et Vishnupurânum, non neglexi. Tum Âryavidyâsudhânidhim, quem scripsit vir cl. Yajñeçvaraçarma, viri cl. Kerni benevolentia inspiciendi mihi fuit copia; comperi, fere totum caput, quod est de ritu domestico, ope Prayogaratni esse compositum, vel alius simillimi libri. Non tamen sine fructu ea usus sum commentatione, perspicuo confecta stilo.

§ 3. Quo consilio scripserim, ex quibus hauserim fontibus certiorem te feci, benevole lector, tamen paulisper, si placet, in praefatione te retineo, ut quae mihi de natura ceremoniarum domesticarum praemittenda esse videantur, tibi proponam, qua ratione autem in explicando versatus sim, iudicio tuo submittam. Ac primum quid intersit inter sacramenta et ceteram rem divinam supra statuimus. Communia sunt iis simplicior prae çrautis apparatus, ipseque paterfamilias sacerdotis munere fungens; nam in çrautis saepissime spectatorem agit, sacra dum a rituum peritis brahmanis, quos acciverit, peraguntur. Non tamen desunt in grhyis brahmani periti, si quotidiana excipias sacra, in plerisque ceremoniis omnibusque sacramentis arcessiti, aut unus aut plures, sive spectatores, sive ministri, neque fere ullum exstat sacramentum, cuius ultima pars non sit donum vel cibus, quo summi ordinis homines remuneretur paterfamilias sive ipse brahmanus sive alius sit Dvijus. Adest et uxor, cui nonnumquam suum in ceremonia attributum est officium, res digna, quae memoretur, propterea quod eandem sacrorum societatem apud Romanos sancto matrimonii vinculo nasci solere scimus. Quae diis offeruntur pro re familiari diversa, sed tanta in iis permit-

titur varietas, ut vel tenuissimo ob penuriam rei divinae neglectae excusatio non sit. (cf. Max. Müll. Hist. of the Anc. Sanscr. Lit. pag. 204 sq. et Āçv. G*r*hy. I, 1, 3—5; II, 4, 6—11, Nâr. ad Āçv. III, 2, 1 pag. 157 ed. Calcutt.) Lac, mel, butyrum liquefactum, fruges adhiberi solent, ditioribus vel volentibus in nonnullis sacris et hostiam immolare licet. Sacramenta maioribus impensis, quam cetera fieri solere, facile intellegitur. Partim solito sacrificio quotidiano inseruntur, partim per se fiunt, sacrificium vero adiungere ex cuiusque libidine pendet.

Nulla fere est res divina, cui desit *mantra,* i. e. carmen, siquidem patricii equites homines de plebe operantur; ubi eo non est opus, de industria significatur in g*r*hyis voce *tûshnîm* i. e. „silentio". Vetantur iis uti carminibus feminae et homines quarti ordinis, quippe Vedorum lectione prohibiti. Quae igitur ab his fit vel pro illarum salute *âvrt* appellatur res divina, i. e. sine carmine, ut de sacramentis est apud Manum (II, 66)

*amantrikâ tu kâryeyam strînâm âvrd açeshata*h

i. e. „sine carmine silentio haec omnia [sc. sacramenta] nulla re praetermissa feminis fieri oportet;" *âvrt* enim, ut interpretatur Nâr. ad Āçv. G*r*hy. I, 17, 18: *tantra eva bhavati, na mantra*h i. e. v. a. „praecepta tantum exsequuntur, carmen non recitant." Raro, velut in nuptiis, mulieri permitittitur carmen ut pronuntiet.

Ea autem carmina preces partim, partim incantationes, numeris cohibita carentia (belgice: „spreuken" appellares) plerumque lingua pacta sunt Vedica; multaque sunt ex iis, quae in quatuor quae supersunt, Vedis, reperias; at contra non desunt, quae sive ea, qua exstent, recensione,

sive prorsus non insint. Verum si quis idcirco aetatem his dederit seriorem, quam qua Vedorum compositi sunt hymni, is magnopere erraverit. Tantum enim abest, ut quatuor, quas novimus, Vedorum collectionibus (sa*m*hitis) omnia contineantur, quae Indorum poëtae in hoc genere cecinerint, ut potius existimandum sit, fragmenta ea superesse ex ingenti hymnorum acervo singulari religionis cura diligenter hucusque servata. Non igitur aliter licet iudicare de iis mantris, quibus suum in sa*m*hitis locum vindicare valeamus, atque de iis, quae nisi ex sutris aliunde non sunt nota. In interpretando vero, ubi vel comparationem admittunt cum similibus quae in sanhitis insunt, vel ad verbum ibi reperiuntur, ea opportunitas minime est spernenda. Saepe enim videmus in ceremoniis usurpari mantros, aut iam per se significatione satis ambigua, aut quod paucis constent versibus, iisque ex unius alteriusve hymni medio abstractis, inflexa subinde sententia atque detorta, ut ceremoniis, ad quas traherentur, adaptarentur. Quae cum ita sint, merito nobis licet suspicari, pari modo iis esse actum mantris, qui e solis g*r*hyis sint noti; quod vero non habemus, quibuscum eos componamus undeve sumptos eos statuamus, hoc rem saepe ex aspera asperrimam reddit. Augent difficultates interpreti scribarum mendae, quibus cum Vedorum libri abundant, tum prae ceteris misere habiti sunt ii mantri, qui g*r*hyis includuntur, non tam religiose descripti, quam sa*m*hitae. Denique, cum reliqua sutra perpetuo et diligenti commentario non carent, hi illustrantur aut exili et satis parco, qualem Jâyarâmus scripsit ad Pâraskarum (vid. Verz. d. Berl. Sskr. Handschr. n⁰. 264), aut nulla; Nârâya*n*us certe Âçva-

lâyani sutra enucleans cetera copiose, de mantris tacet.

Iam viam nobis montrasse videmur, qua mantros intellegere atque interpretari sit conandum. Distinguendum inter sententiam, quam poëta verbis suis declaraverit et eam, quam posteri modo sono adducente, modo cedentes ambiguitati, qua fere nullum opus sanscriticum, nedum splendidus ille Vedorum sermo vacat, nonnumquam etiam omnia ad sacrificia referendi studio, versibus subiecerint. Ubi recte vidisse videantur, enuntiandum. Per symbola et imagines, sed eas verissimas, quoniam boni poëtae dicere amant, ex ipso sermone eliciendae simplices earum significationes, utque sint natae. Porro, ubi quid enodare nequeamus, disertis verbis pronuntiandum magis, quam aut inani, quamvis speciosa oratione luxuriari, aut ingenii sollertia male abutentes ariolari. Haec enim est aurea regula omnis investigationis veri: ex rebus ipsis perspicere quomodo inter se connexae sint, non eas connectere, antequam perspexeris.

CAPUT I.

Nuptiarum si quis apud Indos ceremonias vel temere pervolverit, viderit plenas esse eas precum votorumque, quibus novi coniuges cum longam vitam et opes tum liberos a diis flagitent, qualia in Haasii egregia de nuptiarum ritu disquisitione passim invenias. Neque mirum. Liberos enim imprimis ut quaererent veteres conubia coniungebant; hac in re Indi stant cum ceteris. Rem notam non opus est pluribus expedire. Longum autem est omnia proferre, quae in faciendis nuptiis huc ferentia adhibeantur carmina, neque attinet; quin in circumductione circum ignem, ceremonia si quae alia, maxime sollenni, postquam novus maritus carmen muttiit, Romanum illud: „quando tu Gaius ego Gaia" referens [1]), haec inter alia addit: *prajā́m prajanayā́vahai* „utinam prolem procreemus", ut est apud Āçv. I, 6; Pâr. I, 6 in fine vero plura affert, adiiciens: *putrā́n*

[1]) Vid. Haas in St. Ind. V, pag. 332—341 (Çânkh. I, 13, 4); pag. 348 (Pâr. I, 6, 3); pag. 363 (Āçv. I, 7, 5).

vidyâvahai bahûn, te santu jaradashtayah: i. e. „utinam multos adipiscamur liberos [1]), qui senes fiant." Cf. et Pâr I, 5, in quo et alia et hoc: *imâm Agnis trâyatâm gârhapatyah, prajâm asyai nayatu dîrgham âyuh açûnyopasthâ jîvatâm astu mâtâ pautram ânandam abhivibudhyatâm iyam:* „Utinam Agnis gârhapatyus (i. e. focus domesticus, vel, si vis, Lar familiaris) hanc tueatur, prolem huius longaevam reddat, ne vacuum sit gremium matris vitalium liberorum (i. e. ubi unus ad aetatem pervenerit, qua in gremio matris educari desinat, continuo alter succedat) gaudium e liberis percipiat." (cf. Haas St. I. V, pag. 315 h. l. alio pacto interpretantem). Sed quid plura? Huc enim pertinet magna copia carminum eorum, quibus uxori epitheton additur *subhagâ* (i. e. felix); ea enim praecipue significatur felicitas, summum bonum quod in matrimoniis est aestimandum liberorum ornamentum, veluti *R*gv. X, 85, 25 (cf. Weber I. St. V, pag. 186 cum locis ibi laudatis) *preto muñcâmi nâ 'mutah subaddhâm amutas karam; yatheyam Indra mîdhvah suputrâ subhagâ 'sati.* Neve cui officiat vox *suputrâ*, „bene liberis praedita" vocabulo *subhagâ* ap-

---

1) Miror, et h. l. et multis aliis vocem *putra* semper lat. „filio" ab interpretibus reddi solere, quamquam iam in Lex. Pet. s. v. recte positum est: „Sohn, Kind"; etiam melius res esset acta, si inverso ordine ibi scriptum exstaret: „Kind, Sohn". Etenim, ubicunque *putra* respondet „filio" terminatio facit, ut marem designet, in radice non est haec restrictio. Quod luculente patet ex Âçv. Grhy. I, 7, 6 sqq., quem locum vid. infra pag. 46 sq., atque ex iis, quae Nâr. ad h. l. annotat: *putraçabdah pumsi striyâm ca smrtau drshtah*, quod probat et loco Man. (IX, 136) et his: *loke ca duhitari putraçabdam prayuñjânâ drçyante ehi putreti mantre ca drçyate „pumâms te putro jâyatâm"* etc. Simili modo vetusta latinitate notum est pueri nomine et puellam appellari, velut in hoc Naevii: „Proserpina puer Cereris." *Putrâs* igitur, num. plur. nisi ea vox aliunde artioribus circumscribitur finibus, sunt „liberi."

posita; sexcenties enim in versibus vedicis, ut enuntiata clarius illustrentur, synonyma cumulantur. Ceterum de vi vocis *subhaga* cf. et Āçv. I, 8, 9: *iha priyam prajayá te samrdhyatám*, „hic laeta tua liberis augeantur" et *R*gv. X, 85, 44, ubi vocibus *prajám, saubhágyam, rayim* in universum ut floreat domus, sed imprimis ut liberis floreat, flagitatur. Neque alienum est hic referre, *subhaga* nonnumquam designare hominem, qui amet, cuique Amor faveat, ut in Daçak. pag. 39. reg. 7 ed. Calcutt. *subhagamání* dicitur quidam magistratus, „qui stolide putabat se gratum esse puellis." Huc spectat et Āçv. I, 5, 6, cui loco, in quo interpretando adhuc erratum est, ex iis quae disputavimus haud scio an praeclara lux affulserit. Legimus ibi, procum, antequam sponsalia fiant, sortibus quaerere solere, qua indole quo ingenio sit ea, quam uxorem sibi destinet. Ex octo tum terrae globulis, quos e totidem locis diversissimis apportaverit, eligere puellam iubet; si ominosum manu ceperit globulum, e. g. e quadrivio sumptum, matrimonii spe deiicitur, sin faustum ducitur uxor. Sua cuique vis est globulo; quemadmodum ea quae ceperit globulum ex terra sterili (*írinád*) fit *adhanyá*. Haeremus in hoc verbo. Stenzler (ed. Āçv. vers. germ. pag. 13) vertit: „ohne Getreide"; cum eo stat et Lex. Petrop. s. v. At frumentum sanscr. sonat *dhánya*, non *dhanya;* tum quid sibi vellet sors mulierem frumento carentem praedicans? Et sensus communis et lingua Latina facile me adducunt, ut sterilitatis indicium terram sterilem putem. Quod et rectum esse patet ex loco G*r*hyasa*m*grahi, quem laudat ipse Stenzler in ann. ad. l.l.: *bandhyá bhavati coshare*, i. e. „si e terra salina, fit sterilis"; *úshara* (terra salina) autem respon-

det *îrina* i. e. terrae sterili, deserto, quod est apud Âçv. Quid igitur? Utrum corruptum *adhanyâ?* Sic olim iudicabam mutabamque in *anapatyâ*. An genuinum, verum aliter interpretandum? Hoc vir cl. Kern mihi persuasit, neque ulla opus est coniectura; ut enim *adhanyâ* nullo pacto esse potest „frumento carens," ita perspicue et necessario significat „infelicem, pauperem" oppositum adiect. *dhanya*, quod „opulentos homines rebus florentibus, ὀλβίους" designare solet. Itaque, ut *subhagâ* appellatur uxor, cum ex omni parte beata tum liberis ornata, sic *adhanyâ* est uxor rebus adversis oppressa, atque orba.

Etiam post celebratas nuptias coniuges saepius sterilitatem deprecari solere consentaneum est. A Pâr. (I, 12) describitur sacrificium, quod fieri oportet *pakshâdau*, „quoque paksho" (i. e. mense dimidiato) [1]), quoque mense, quoque anno, cet., pro cuiusque opibus. Minus recte Stenzler (Zeitschr. d. deutsch. morgenl. Gesellsch. VII, pag. 530) vertisse videtur „beim Anfang der Monatshälfte"; plur. tum num. esset usus Pâr. scripsissetque *pakshâdishu*. Si recte video, solitum illud sacrificium, quod audit *pârvanah sthâlîpâkas* h. l. describitur; etenim in summis conspirat Pâr. cum Âçv. I, 11, ipsum idem explicante. Nostrae tum vocis *pakshâdau* interpretationi apte convenit hocce ex Âçval. smṛti: *mâsikam pârvanam proktam açaktânâm tu vârshikam.* (vid. Pray. Ratn. pag. 87, a; Âryavidy. pag. 95) i. e. „pârvaṇam quoque mense [fieri oportere] traditum est; iis vero qui facultate carent (i. e. pauperioribus) quotannis."

---

1) Menses dividuntur in duos pakshos: *çuklapaksha* crescentis lunae, *kṛshnapaksha* vero minuentis.

De ceteris huius sacrificii partibus, cum huc non ferant, agere supersedeo, *prâçanânte* vero, „ubi cibum ceperunt" *bâhyatah strî balim harati:*

namah striyai namah pumse vayase vayase namah
çuklâya krshnadantâya yâyinâm (a) *pataye namah.*
ye me prajâm (b) *apalobhayanti* (c) *grâme vasanta utavâ aranye*
tebhyo namo'stu balim â(d) *harâmi svasti me'stu prajâm me dadantu* (e)
[*iti*

In his nonnulla mutavi; (a) habent *pâpînâm* A et B man. sec., *pâpinâm* B. manu prima; neutra vox hic intellegi potest; (b) Si metrum integrum, vox *prajâm* est trisyllabum; sin ruit, *me* mutandum in *mama;* (c) *apalobhayanti* scribendum esse pro *upalobhayanti,* quod est in cdd. verisimillimum est; compos. autem *apalobhayanti* derivandum a *lubh,* sensu „turbandi" (= *vimohana,* vid. Lex. Pet. s. v.). Sic *anavalobhanam* ceremoniam explicari oportet, in hunc enim fieri finem, „ne deturbetur fetus" i. e. „ne fiat abortio"; (d) Necessario sic mutandum; in cdd. exstat *ebhyo harâmi*; (e) *dadantu* metrum postulat pro forma solita et legitima *dadatu.* Vel in Mhbh. legitur *dadanti* (vid. Lex. Pet. s. v. *dâ*).

i. e. „uxor foris sacrificat (sc. cibo) his verbis: „veneratio sit feminae, veneratio sit mari, cuique aetati sit veneratio; veneror et candidum illum planetarum dominum, cui dentes sunt nigri." „Eos veneror, qui progeniem meam conturbant, sive in vico habitant, sive in nemore, iis donum fero; mihi bene sit, prolem mihi duint." — Candido illo planetarum domino facile mihi assentieris, opinor, significari lunam. Recte enim et candida dicitur et dentibus nigris, sive maculae, quibus intersparsa est nigris, spectentur, sive marginem, quae duo lunae cornua iungit in modum serrae esse existimaverint. *Yâyinas* non solum appellari planetas, sed et lunam patet ex Ath. Pariçisht. loco, quem vide in Weberi St. I. X, 318. Quod cum ita sese habeat, si cui alii, lunae aequum ceteris praeesse yâyinibus, quippe quae magnitudine prae-

stet [1]). Solet autem invocari luna in plerisque precibus, quae liberorum creandorum causa fiunt. — Altero versu daemones placantur, conceptionem et partum impedientes. Optime conferri potest Ath. Ved. XVIII, 6, exhibens incantationem daemonum, ne fetum ne natum laedant. Plura de his daemonibus quominus disputem spatii et temporis angustiis prohibeor.

Âçvalâyanus, ubi de pârva*n*o agit, nullas huiusmodi tradit preces, sed § 12 (I, 10) inter alia vota et liberorum ut fiat pater, paterfamilias precatur: „......... *cā'smān prajayā paçubhir brahmavarcasenā'nnādyena samedhaya.*"

In çrautis quoque prolis cupidis sua sacrificia peragere licet. Apud Çânkh. (Çr. I, 15, 3) in numero patisa*m*yâjorum, qui appellantur, ut offerat dona Râkae (plenae lunae) et Sinîvâli (hoc nomine appellatur luna eo die, qui praecedit novam), ei, qui liberos concupiscat, permitti auctor est Weber St. I. V, pag. 228. Tum pronuntiantur *R*gv. II, 32, 4—7 = Ath. Ved. VII, 48, 1 sq, 46, 1 sq. Quod supra dixi, haud raro sententias mantrorum ita detortas esse videri, ut ceremoniis quibusdam accommodarentur, in his, ni fallor, locum habet.

Multis de causis filium sibi nasci malunt coniuges, quam filiam [2]); neque desunt preces, quibus illum a diis petant. In garbhâdhâni (conceptionis) ceremonia e. g. pronuntiant Ath. III, 23, 2. sqq.

---

[1]) Simili modo Luna appellatur U*d*upati, Bhapati, *R*ksharâja, cet.

[2]) Vid. strophe quam exhibet Max Müller, Hist. of Anc. Sanskr. Lit. pag. 409. Lepide illic et festive paucis verbis miseriae stringuntur, quae puellae patrem premant.

*á te yoni*m̃ *garbha etu pumán bána iveshudhim*
*á vîro atra jáyatám putras te daçamásya*h.

Cf. et sequentem

*pumám*s*am putram janaya ta*m *pumán anu jáyatám*
*bhavási putrá*n*ám mátá játánám janayáçca yán*

ex quo apparet, iam filiorum matrem esse, quae in carmine compelletur. Prior versus latine sonat: „in uterum tuum immittatur fetus mas, sicuti sagitta in pharetram, vir tibi nascatur filius decimo mense," alter: „marem puerum gigne, post eum nascatur mas, filiorum mater sis et quos iam peperisti et quos paries." — Eiusdem rei gratia secundo vel tertio graviditatis mense sacramentum fit, cui nomen est *pu*m*savana*, i. e. „maris genitura" qua efficiant, ut femina ne nascatur, mas vero nascatur. Quin adeo diligenter Indi hoc observant, ut ridiculum in modum Baudhâyani nobis facere videantur. His enim Baudh. Prayog. pag. 88, a; 91, a praecipit, si pater aliqua de causa filiae et conceptae et natae sacramenta peragere supersederit, nuptiarum tempore ut inde a jâtakarma*n*e omnia repetat, ceterorum mantros pronuntiet, ne pu*m*savano quidem omisso, quod si quid valuisset, filia cui sacramentum fieri perhibent, ne esset quidem! Non sapit ille, qui nimium sapit.

Attamen vehementer dubito, an hac sapientia rem divinam fecerint ii coniuges, quos Âçv. I, 7, 6 sqq. fore ut filiae sibi nascerentur spem fovere ait. Age, totum locum apponamus, qui simul nos doceat, cavendum esse ne urgueamus illud, quod futurorum filiorum tantum novi coniuges rationem haberent. Versatur Âçv. in ea parte nuptiarum, quae est dextrarum iunctio (de qua vid. Haas l.l. pag. 316 sq.), quam hunc in modum enarrat: *g*r*h*n*âmi te saubhâga-*

tvâya hastam ity angushtham eva grhnîyâd, yadi kâmayîta pumâmsa eva me putrâ jâyerann iti. angulîr eva strîkâmah. românte hastam sângusthakam ubhayakâmah, i. e. „felicitatis causa manum capio tuam" his verbis unum pollicem amplectitor, si optet, fore ut mares tantum sibi nascantur liberi [1]); sin feminas, digitos tantum; sin vero ambas, manum pronam cum pollice." Idem locus confirmare videtur ea, quae supra disseruimus de voce *subhaga*, etenim quid sibi velit *saubhagatvam*, cuius adipiscendi causa dextrarum fit iunctio, iam manifestum est. Quoties enim variatur ea, toties et spes patris.

Quarto graviditatis mense in uxore primum gravida, maritus peragit sacramentum, quod nuncupatur *sîmantonnayam* („capillorum exstructio"); mense octavo Vishnui sacrificatur (*Vishnubali*). Cum primum natus est puer [2]), ante funiculum abscissum rite fit *jâtakarma*. Sic et alii praecipiunt et Manus (II, 29):

prâñ nâbhivardhanât pumso jâtakarma vidhîyate

i. e. „ante funiculum abscissum jâtakarma in mare fieri oportet." Inde fluxit et aliud nomen eiusdem sacramenti, *vardhâpanam*, cuius vocabuli originem prâcriticam convincit linguae sanscriticae grammatica [3]). De eo vide Weber, „Ueber die krshnajanmâshtamî" pag. 249, ann. 5, cui non placet haec Indorum interpretatio. Tamen haud scio an per ambages dictum sit *vardhâpanam;* audienti enim praeter

---

1) Cf. ann. ad pag. 41.

2) De puella controversia erat, solet tamen et in eius beneficium peragi. Plura hac de re vid. in Cap. III.

3) Est hoc tertium exemplum eius formationis, de qua supra, pag. 8 disseruimus.

vardhayati (pracr. *vardhâpayati*) „abscindere" et *vrdh* „cressere" in mentem veniat necesse. E Weberi l.l. et Verz. der Berl. Sanskr. Handschr. n⁰. 1082 videbis *vardhâpanam* etiam designare ceremoniam, quae quotannis fiat die natali. — Appellatur et *jâtakrtyam* in versu Angirasis, quem vide in Âryav. pag. 95 in. et in Pray. Ratn. pag. 87, reg. 3.

Decimo, undecimo vel duodecimo die postquam natus est filius, nomen ei datur solenni ritu; appellatur hoc sacramentum *nâmakaranam.*

Haec omnia sacramenta, etiam plura, *upanishkramanam, annaprâçanam* ita dissertatione mea complecti decreveram, ut a garbhâdhâna ordirer, in annaprâçanam vero desinerem; sed in tantam materia molem sensim succrescebat, ut consilium mutaverim, satius esse ratus, de jâtakarmane hoc specimine disputare, cetera, dis bene volentibus, postea editurus. Insequenti igitur capite ea proponemus tibi, quae fontes super ritu illius sacramenti nobis tradant.

CAPUT II.

Atque ante omnia primum praecipitur, ut purus ad sacramentum accedat pater. Fit purus lavatione, de qua Ssk. Paddh. 26[b] reg. 2 haec: *játe putre pitá sacailasnánam kuryát: snánát púrvam na kiñcit sprçet,* i. e.: „nato puero pater cum vestimentis lavator. Antequam sit lotus, ne quid tangito." Paulo copiosius hac in re habemus Pray. Ratn. pag. 43, a, reg. 9: *„játamátre putre pitá tasya mukham nirîkshya nádyádáv udañmukhah snátvá asambhave divâhrtábhih çîtábhir adbhih suvarnayutábhir grha eva snátvá* etc." i. e. „simul atque natus est puer, pater in os eius inspicito, in fluminea vel alia id genus aqua lavator ore in septem triones verso; si id facere non possit, domi quidem lavator aqua frigida, quae interdiu apportata erit, adiecto auro." (cf. et Âryav. pag. 99). In ipsis *gr*hyis nihil repperi, quod huc pertineat; quamquam non dubito affirmare omnibus hanc scholis vedicis lotionem esse communem. Partu enim ipso et ma-

trem et patrem impuros fieri vetus est opinio [1]). Nil igitur antiquius habere oportet patrem, quam lustrari, ut sacramentum facere sibi liceat. In dharmaçâstris, quibus purificationum, piaculorum, expiationum est provincia, disertis verbis hoc iubetur, velut apud Manum V, 62:

*sarveshâ*m *çâvam âçauca*m *mâtâpitros tu sûtakam*
*sûtaka*m *mâtur eva syâd upasprçya pitâ çuci*h.

i. e. „quae morte [sc. agnati] oritur ea omnium [sc. agnatorum] est impuritas, quae vero partu, ea parentium tantum est, quin unius sit matris; pater enim aquam tangendo purus fit." [2]) Cf. et versus Sa*m*varti (et is auctor dharmaçâstri putandus esse videtur), laudatus in Âryav. pag. 99

*jâte putre pitu*h *snâna*m *sacaila*m *tu vidhîyate* (cf. Ssk. Paddh. supra laud.)
*mâtâ çudhyed daçâhena snânât tu sparçana*m *pitu*h.

i. e. „nato puero patri fas est cum vestimento lavari, mater decem diebus pura fiat at lavatione pater."

Lotus sacramentum facere aggreditur ea peragendo, quae actum sollennem tamquam praenuntiant. Haec Pray. Ratn., quibus ea, quae supra citavimus, continuantur: (*snâtvâ*) *'camya sitacandanamâlyâdibhir ala*m*krto nâlacchedanât pûrva*m *sûtikâdivyatiriktair asprshta*m *akrtastanapâna*m *pra-*

---

[1]) Mater et apud Romanos partu fit impura. Inde crebrae purificationes, quas vide apud Tertull. de anima 39; de idol. 16; dies nominum (= *nâmakarana* Indorum) „lustricus" appellatur. De Graecorum λοχίοις vid. Schoemann Griech. Alt. II, pag. 350.

[2]) Quamvis ad h. l. non pertineat, non possum verbo saltem non indicare mirum in modum Manus codicis scriptorem sibi ipsum contradicere; versus enim V, 58 et 61 idem affirmant, quod vs. 62 negatur. Habemusne compilatorem confitentem?

kshâlitamalam kumâram mâtur utsange prâṅmukham avasthâpya brâhmanaih saha punyâhavacanam krtvâ, i. e. „(lotus) os eluito; albo santalo, corollis et similibus exornatus ante funiculum abscissum puerum a nullo nisi a matre contrectatum iisve, quibus ius est [1]), mammis nondum admotum, sordibus lavatione remotis, in gremio matris collocato; cum brâhmanis facito ceremoniam, cui nomen est punyâhavacanam, v. a. bona verba ut dicant eos adigito" [2]). Haec partim omnibus sunt communia, nimirum, quod jâtakarma fit ante funiculum abscissum, quod mammis nondum admotus est novus natus, partim ab aliarum ritu scholarum abhorrent; ad ea, quae Âçvalâyanorum fiunt ritu proxime accedunt, vel potius ut dicam, quod sentiam, eadem sunt. Id mox suo loco demonstrare conabimur. *Punyâhavacanam*, quam ceremoniam prayogi sacramentorum nonnumquam partem exhibent, haud scio an recentioris sit originis; idem sit dictum de *deçakâlasmarana* (loci et temporis cogitatione) et de *samkalpa* (animo sacrificandi de quo plura vide infra in Cap. IV), quae in Pray. Ratn. sequuntur.

Quod autem post ea consequitur *âbhyudayikaçrâddha* antiquum videtur. Est genus parentalium sive feralium. Hac in re ceterae gentes ariae stirpis et Romani praecipue cum Indis conspirant, quod sempiterna religione Manes colunt. Graeci, Romani, Indi die natali demortui Manibus dona

---

[1]) Sic verti collata ann. Nâr. ad Âçv. I, 15, 1 quam vide infra pag. 54.

[2]) *Punyâha* lat. sonat „dies faustus." Solent autem Indi, quantum e prayogis comperi, diebus festis, etiam privatis se compellare verbis: *punyâham astu* et similibus, quemadmodum etiamnunc Iudaei festa publica religiosa amant vocare: „dies faustos."

ferunt, quod sacrificium sua quique lingua appellant *χοάς*, *parentalia*, *çrâddham*. Indis quatuor sunt genera çrâddhorum, quae vide apud Âçv. IV, 7, 1 cum ann. Nâr.; unum hic respicitur, *âbhyudayikam*, ex Nâr. interpretatione *vṛddhipûrtinimittam*, v. a. „cuius peragendi ratio est res prospere gesta, sive domus aucta sit". Si quid igitur laeti ei acciderit, Manes tamquam adigit, ut secum laetentur [1]). Âbhyudayikam pluribus exponere ab h. l. alienum puto. Curiosos refero ad Pray. Ratn. pag. 43, b. reg. 1–4. Ssk. Paddh. eius loco habet *mâtṛpûjanapûrvakam nândîçrâddham*. In hunc quidem modum: „*snânâd ûrdhvam achinnâyâm nâḍyâm jâtakarma kuryât. tataḥ kramaḥ. asmin puṇyâhe 'sya kumârasya jâtakarma karishye, tadangatayâ vihitam mâtṛpûjanapûrvakam nândîçrâddham ca. mâtṛpûjanaçrâddham samâpya. atra çrâddham âmânnena hi[ra]ṇyena vâ kartavyam*". In iis post *çrâddham ca* mente explenda sententia, additis verbis „*iti saṃkalpaḥ*". Vox *atra* ante *çrâddham* recte sese habere non potest, ultimis enim verbis *nândîçrâddham* cuius rei sacrificio constet explicari manifestum est. De mâtṛpûjano et de nândîçrâddho vid. Weber, Stud. Ind. I, 445, ann. 1; As. Res. VII, 270 et Wilsonis versionem Vishṇupurâṇi pag. 297, unde quae huc ferunt subiicimus: „When a son is born, let his father perform for him the ceremonies proper on the birth of a child and all other initiatory rites, as well as a Çrâddha, which is a source of prosperity .... Let him present to the manes balls of meat, mixed with curds, barley, and jujubes, with the part of his hand sacred to the Gods, or

---

1) Similiter explicare velim illud nobilitatis Romanae, quod cum in rebus laetis, tum ubi liberis domus aucta esset imagines maiorum aperire solebant, scilicet ut eorum, quae posteris laeta accidissent, testes et quodammodo participes essent Manes.

with that sacred to Prajâpati. Let a Brahman perform such a Çrâddha with all its offerings and circumambulations on every occasion of good fortune". In annotationibus, quibus versionem suam illustravit, Wilson ostendit, hoc loco nândîçrâddham significari et âbhyudayikam. „The Nândîmukhas" ait, „are so termined here from words occurring in the prayer, used on the occasion of a festive Çrâddha (As. Res. VII, 270)".

Iam in medium devenimus jâtakarma. In quo exponendo non sequor eam rationem, quam proposuit Haas, Stud. Ind. V, 280 sqq.; si enim recte intellego, quid velit (in speciem dubitantis magis, quam affirmantis disserit) sutris etiam si discrepent, ita uti licere ait, ut, quae in uno desint, ex altero substituas; invicem se illustrare gṛhyasutra, non enim rerum enarratarum natura, verum libidine eorum, qui ea composuerint, ortum esse tantum, quod videtur, discrimen. At demonstrare supersedit, non posse rem aliter se habere, quam ipse excogitaverit [1]). Nostro vero iudicio [2]) gṛhyasutra commixtionem non admittunt; separatim igitur secundum ordinem scholas, quarum ritum cognoscere nobis licuit, producamus, ipsas audiamus diversas jâtakarmanis formas exponentes. Praeeat magister Âçvalâyanus.

§ 1. (I, 15, 1) *kumâram jâtam purâ 'nyair âlambhât sarpirmadhunî hiranyanikâsham hiranyena prâçayet*

---

1) His vero: „Den Umstand, dass sich diese Zusätze [sc. *ity eke*] meist in den andren Sûtra ausgeführt finden, braucht man nicht zu einem Argument dafür zu machen, dass der Unterschied der Schulen kein genau festgestellter war, etc." (vid. l.l. pag. 282) aut sibi ipse contradicere videtur, aut preli errore ea laborant.

2) Quod consentaneum est ei, quam supra de gṛhyasutrorum natura tulimus sententiam.

pra te dadâmi madhuno ghṛtasya vedam Savitrâ prasûtam maghonâ(a) *âyushmân gupto devatâbhiḥ çatam jîva çarado loke asminn* *iti*

(a) In omnibus Âçval. codicibus legimus *maghonâm;* cum Stenzlero (vid. eius ed. pag. 38 vers. germ.) ex Çânkh. Gṛhy. I, 24 codicibus posui *maghonâ.*

i. e. „ubi natus erit puer, ante alienam contrectationem butyrum liquefactum [1]) et mel [quibus commixti] auri pulvisculi, qui auro abradendo provenerint per aurum ori eius illinito [2]) [sc. pater], his verbis: „do tibi butyri mellisque thesaurum, procreatum a Savitare domino; vitalis, a divinitatibus custoditus, centum vive annos in hoc mundo".

Quid sibi velint verba *purâ 'nyair âlambhât* nobis explicat Nâr., annotans: *anyagrahanam anadhikṛtâlambhanât prâk kartavyam* [3]), i. e. „vox *anya* in eum finem, ut fiat [sacramentum] antequam contrectaverit novum natum alius, quam qui suo iure faciunt", qua in re summa est consensio cum verbis Pray. Ratn., quae modo attulimus. Neque quo pacto sanctus cibus puero infundatur, ex unius Âçv. verbis dilucide patere videtur. Et huic loco lucem afferat idem Nâr. l.l. *sarpirmadhunî hiranyena nikâshayati te hiranyasaṃsṛshṭe hiranyena prâçayet.* Quod simul addit: *matur utsange âsînam* in hac quoque re conspirat cum scriptore Pray. Ratn., quem supra vidimus fere iisdem verbis idem narrantem. Age, iam iure nostro ita iis utamur, quae hic liber de initiatione cibi exhibet, ut Âçvalâyani sutram

---

1) Hodie appellant „ghî" quod Angli more suo scribunt *ghee.*

2) Non verbo verbum reddidi; *prâçayet* enim est potent. causat. verbi *prâçnâti* „edere"; tamen vereor ne absurdius latine audiant haec: „novum natum edere cogit, adigit, iubet".

3) Sic codex. Editio habet *prâk* [*karma*] *kartavyam.*

illustrent. Sunt haec: *tato vishamamânena madhusarpishî miçrîkrtya çilâtale nikshipya tatra suvarnam rajovimokam yâvad avaghrshya bhâjane nidhâya „om pra te° mantrena tenaiva hiranyena kumâram pâyayitvâ"*. Addo et Âryav. pag. 99: *madhusarpishî çilâtale nikshipya tatra suvarnam yâvadrajovimokam gharshayitvâ tenaiva suvarnena suvarnarajovimiçram madhusarpisham grhyoktamantrena kumâram pâyayet*. Ex his tribus locis patet, ceremoniam fieri in hunc modum: Mel et butyrum liquefactum (quae ex aequa parte sumere non licet secundum Pray. Ratn.) commiscet pater, commixta in lapidem infundit; ibi aurum deradit usque eo, quo pulvisculos mittat. Tali modo permixta mel, butyrum, aurique pulvisculos eodem illo auro, quod modo derasit, cochleare utens, ad os pueri admovet. In Pray. Ratn. hunc ceremoniae finem antecedunt verba *bhâjane nidhâya*, i. e. „postquam in vase deposuerit", quibus praecipi videtur, cibus ne continuo de lapide in aurum transfundatur, verum de lapide in vas, e vase iterum in aurum. — In carminis pede tertio (ut cum Indis loquar) duae desunt syllabae, expleatur versus *bhava* („sis") vel simile quid inserendo. Recte mihi Lex. Pet. fecisse videtur, *vedam* h. l. vi „thesauri" positum esse autumans; Stenzler vertit „Wissenschaft", quod quomodo defendat ego non video. Gen. *madhuno ghrtasya* determinativum, ut aiunt, puto, eumque dici thesaurum, qui constat melle et butyro, sc. lucem. Plura de significatione huius versus in capite quarto opusculi nóstri suo loco disputabimus.

Haecce sacri cibi infusio ceremonia est princeps (*pradhânakarma*), eundemque in omnibus scholis obtinet locum, licet nonnulla sint varia. Hoc ita est verum ut Man. II, 29 naturam jâtakarmanis definiens id faciat his verbis: *man-*

travat prâçanam câ 'sya hiranyamadhusarpishâm i. e. „eiusque initiatio cibi fiat cum carmine, constet cibus ex auro, melle butyroque liquefacto."

§ 2 (I, 15, 2) *karnayor upanidhâya medhâjananam japati*
medhâm te devah Savitâ medhâm devî Sarasvatî
medhâm te Açvinau devâv âdhattâm pushkarasrajau iti.

i. e. „ore ad puerum inclinato aurum in auribus ponit, medhâjananam (i. e. carmen, quod mentem pariat) muttit: „„Mentem tibi divus Savitar, mentem diva Sarasvati, mentem tribuant (propr. apponant) tibi divi Açvines loto coronati"". — Patrem caput inclinare et rei naturae consentaneum est et eo spectare partic. *upa* affirmat commentator. Idem tradit consentire quidem omnes, invicem in aures ut imponatur aurum, at controversiam esse de carmine, semel enim carmen muttiri velle alios, alios bis, ut Pray. Ratn. Hic autem liber nos docet tum initium fieri ab aure dextra, tum aurum antea lavari; quod facile intellegitur a reputantibus in modum cochlearis idem illud aurum in prima ceremonia esse adhibitum. Haec sunt verba Pray. Ratn. (*pâyayitvâ*) *tad dhiranyam prakshâlya kumârasya dakshinakarne* [an legendum *dakshine karne*] *nidhâya tanmukhasamîpam svamukham ânîya* [et haec verba conspirant cum Nâr. commentario] *om medhâm° ity* rcam *japitvâ punas tad dhiranyam savye karne nidhâyaitâm evarcam japet.*

Cum carmine nostro cf. Taitt. Ârany. X, 40: *medhâm me Indra dadhâtu, medhâm*⁰ Ath. Ved. V, 25, 3: *garbham te devah Sav. garbh. devî Sarasvatî, garbh. te Açvin.* etc.; videtur ea formula in variis adhiberi precibus. Invocantur divinitates creatrices, lucem sive vitam suscitantes. Savitar mythol. est „sol", etymol. „creator"; de Sarasvati vid. Weber Stud. Ind. V,

232, quibus hoc addimus recte invocari in huiusmodi precibus deam sermonis et linguae. Verbi enim potestatem creatricem cum omnis mythologia tum Indorum habet. Et Açvines summo iure recentis vitae fautores invocantur, lucis dieique praecursores atque praenuntii imaginem referentes aurorae, veris, adolescentiae [1]). Merito igitur et floribus ornati. Quod autem *pushkarasrajas* i. e. „loti corollas portant" id procul dubio fit per symbolum. In Çatap. Brâhm. VII, 4, 1, 7 legimus: *yonir vai pushkaraparnam* „origo enim est pushkari (loti) folium", et § 8: *ápo vai pushkaram, tásám iyam* (sc. *ishtaká*) *parnam. yathá ha vá idam pushkaraparnam apsv adhyáhitam evam iyam apsv adhyáhitá. seyam yonir agneh, iyam hy agnir, asyai hi sarvo 'gniç cíyate.* Quae verba latine reddere haud ita est facile; dicuntur enim de *ishtaká;* i. e. later, *στοιχεῖον,* primum elementum, cui etiam melius respondet nostrum „bouwsteen"; ishtakis ara construitur, eaque imago tritissimo usu in constructionem Universi vertit. H. l. componitur cum loti folio: „aquae enim (sunt) lotus; earum folium haec (sc. *ishtaká*). Sicuti hoc loti folium aquis superpositum, eodem modo haec (sc. *ishtaká*) aquis superposita. Haec quidem (sc. *ishtaká*) est origo „agnis" (ignis, lucis, vitae, solis) haec enim est *agnis* (ignis, lux); ex ea nempe omnis *agnis* struitur". Inde patet *pushkara* „lotum" designare solem in coelo, ignem et animam in terris, et ea quidem, ubi illu-

---

[1]) Vid. ea, quae Weber Stud. Ind. V, 234 sq. de iis disputat et Çatap. Brâhm. VIII: 2, 1, 3 *Açvinâv eva devânâm adhvaryû iti:* i. e. „Açvines diis lumina accendunt" sive: „sacrificium incipiunt." *Devâs* autem lumina coelestia. Eorum igitur ordinem ducunt Açvines, sunt quodammodo luminis et luminum antesignani.

cescere coeperunt. Ex aquis enim oritur et sol et loti folium [1]. Fortasse hoc movit Indos, ut voci *pushkara* talem vim tribuerent, vel aliud quid; in etymologiam vel temere inquirentibus verbum *push* „crescere, florere" tamquam sponte se offert. — Quid corollae in ceremonia nostra significent, nescio.

§ 3. (I, 15, 3) *amsâv abhimrçati*

açmâ bhava parçur [2] *bhava hiranyam astrtam bhava*
vedo vai putranâmâ 'si sa jîva çaradah çatam

iti „Indra çreshthâni dravinâni dhehi" „asme prayandhi maghavann rjîshin" iti ca. i. e. „umeros mulcet his verbis: „„sis lapis sis securis sis indelebile aurum, thesaurus quidem es filii nomine, vive centum annos" et duobus versibus Rgv. II, 21, 6 et III, 36, 10". Quos exscriptos exhibet Prayog. Ratn.

Indra çreshthâni dravinâni dhehi cittim dakshasya subhagatvam asme poshám rayînâm arishtam tanûnâm svâdmânam vâcah sudinatvam ahnâm

et

asme prayandhi maghavann rjîshinn Indra râyo viçvavârasya bhûreh
asme çatam çarado jîvase dhâ asme vîrâñcchaçvata Indra çiprin.

Prior latine sonat: „Indra da bona egregia nobis, prudentiam, voluntatis felicitatem, res ut augeatur, corpora ut valeant, vox ut sit dulcis, dies ut placidi sint", alter: „Nobis o Indra (i. e. Iuppiter), domine, splendide [3], prae-

---

[1] Cf. cum hac loti imagine Vishnus *padmanâbha* sive *pushkaranâbha*.

[2] Sic metro iubente mutavi quod editiones habent *paraçur*. Et forma *parçur* certis exemplis probata. Lex. Pet. s. v. *parçur* video mecum consentire, quamvis noster locus sub 2 *parçu* quam sub 1 *parçu* collocatus esset malis.

[3] *Rjîshin* contra solitam interpretationem verti; arte enim hoc vocabulum cohaerere videtur cum *rjîti* „candens" et *rjîsha*, „sartago", derivatum autem ab eadem stirpe, unde *arjuna*, „albus, argenteus", et lat. „argentum" graec. ἀργός, ἀργής, ἄργυρος. „Candens" igitur et „fulgens", „flagrans, splendens" *rjîshin*; et metaphorice splendorem indicat. Haec ita

beas aliquid de ampla tua omnium rerum pretiosarum copia, centum annos da ut vivamus, adcrescentem (sc. multam) prolem masculinam, o maxillate [1]) princeps."

Nârây. in ann. ad hoc sûtrum satis prolixum in modum exponit, multifarias de ea ceremonia sententias esse editas, indeque dissensiones ortas. Nam carmen semel dici volunt alii, umeris invicem tactis, alii tria carmina praescripta ita distribuunt, ut dextrum umerum tenens pater pronuntiet „*açmâ bhava*⁰", duos reliquos, cum sinistrum teneat, secundum alios (et in hanc sententiam it noster) semel tres mantri dicendi neque invicem umeri tenendi. Tres versus igitur pro uno sunt carmine. Neve dubitationem iniiciat vocabulum *iti*, in eodem bis carmine interpositum; quod haud raro ita fieri exemplis ostendit commentator. Attamen *yasya trayâ*n*âm anyatama*h *paksho 'bhipretas tasyâ 'pi kurvato na dosha*h *sarveshâ*m *gamakavattvâd iti bhâshyakâra*h, i. e. „commentarii auctor (quem dicat nescio) super ea re haec ait: „„quicumque quae e tribus ei placet, eam secutus erit partem, non peccabit; omnes enim probabiles"".

Verbo moneo, et Pray. Ratn. cum hac nostri interpretatione cum maxime conspirare: *tata*h *çiçor amsau yugapad abhimṛçet*, i. e. „deinde puelli umeros una mulceto". Sequuntur iidem, quos Âçvalâyanus exhibet versus.

---

esse uti dixi etiam documento sunt nonnulli loci *Ṛ*gvedi, quibus „flagrantis", vis sententiam restituat, quam perdidisses vertendo, ut solent, „praetervehens". Vid. in primis II, 34, 1: *agnayo na çuçucânâ ṛjîshi*nah et V, 40, 4, ubi Indrus fulminans dicitur *ṛjîshî vajrî vṛshabhas turâshât*.

[1]) *Çiprin* epitheton est unius Indri. Quo tendat maxillatus Indrus, ego reperire non potui. Alia intepretatio vocis *suçiprin* apud Yâskam Nir. 6, 17 commemoratur.

Haec sunt, quae apud Âçvalâyanum de jâtakarmane exstant. In Prayogaratno et alia sequuntur. Quae, si rationem habueris summi, qui est inter eos libros consensus, atque in illo aegre desiderari mihi concesseris *stanapânam* (mammis admotionem), quod et hic et ceteri libri omnes memorent, peragere fortasse tibi Âçvalâyanorum videbitur schola quamquam in eorum g*r*hyo non insunt. — Sed iam Pâraskarus, B. L., ut se audias postulat; quin producimus eum cum comite Sa*m*skârapaddhati. Ad nostrum sacramentum fert illius lib. primi cap. 18mi in cdd. A. et B., cap. 16mi in cd. Berolinensi pars maxima, Ssk. Paddh. vero folia 27 ad 31. Atque sic incipit Pâraskarus.

1. *jâtasya kumârasyâ 'chinnâyâ*m *nâ*d*yâ*m *medhâjananâyushye karoti. anâmikayâ suvar*n*ântarhitayâ madhugh*r*te prâçayati gh*r*tam vâ bhûs tvayi dadhâmi bhuvas tvayi dadhâmi svas tvayi dadhâmi bhûrbhuva*h*sva*h *sarva*m *tvayi dadhâmîti*, i. e. „Novo nato, antequam funiculus abscindatur, facit medhâjananam (cf. Âçv. 2) et âyushyam (longaevitatis ceremoniam). [Quae sequuntur medhâjananam exponunt]. Digito quarto, aurum continente, mel butyrumque liquefactum ori oblinit, vel but. liquef. [tantum], hoc carmine: „„Terram tibi indo, Aëra tibi indo, Aethera tibi indo. Terram, Aëra, Aethera, omne tibi indo"" [1]).

---

1) Sunt verba solennia *bhûs*, *bhuvas* et *svas*, vel si vis, exclamationes sacrae, quod genus rem divinam facientes multa usurpant Indi, veluti *om*, *vasha*t, *svâhâ*, *svadhâ*. Quatuor iis, quae in nostro insunt carmine, nomen est *mahâvyâh*r*tayas*, i. e. „exclamationes magnae", sc. *bhûs*, quod terram, *bhuvas*, quod aëra, *svas*, quod coelum sive aethera significare videtur; pro quarta exclamatione repetitae sunt priores tres. — Trifariam ex Indorum sententia Universum dividi notum est, in coelum (*div*, *αἰθήρ*), aëra (*antariksha*, *ἀήρ*) et terram (*bhûmi*, *p*r*thivî*, *γῆ*).

Vides hoc sutro aliam exhiberi formam eius ceremoniae, quam Āçv. tradit § 1, appellari vero eo nomine, quo quae in § 2 Āçv. explicatur. Cibi initiatio apud Pâr. simplicius fit; auri pulvisculi et hic adhiberi videntur, lamellam enim digito abscondi (hoc enim valet *suvarnántarhitayá*) non est verisimile.

Ex Ssk. Paddh. apparet, dextrae manus digito cibum immitti, tum ambigi de eo, utrum semel edat infans, an cum singulis exclamationibus repetatur cibi initiatio; haec enim legimus: *bhúr*° *iti mantre[na] sakrt prativákyam vá* (sc. *práçayati*).

2. *athá 'syá 'yushyam karoti. nábhyám dakshine vá karne japati: „Agnir áyushmánt sa vanaspatibhir* (a) *áyushmâms tena tvá 'yushâyushmantam karomi, Soma áyushmánt sa oshadhíbhir* (b) *áyushmáms tena tvá 'yusháyushmantam karomi, Brahmá 'yushmat* (c) *tad bráhmanair áyushmat* (d) *tena°, devá áyushmantas te 'mrtená* (e) *'yushmantas tena°, rshaya áyushmantas te vratair áyushmantas tena°, pitara áyushmantas te svadhábhir áyushmantas tena°, yajña áyushmánt sa dakshinábhir* (f) *áyushmáms tena° samudra áyushmánt sa sravantíbhir áyushmáms tena°" iti tris „tryáyusham" iti ca.*

Non mirum saepius propemodum repetita verba somniculosos fefellisse scribas; inde lectionum in codicibus varietas, et perperam quidem (a) legitur *vanaspatibhir* (cd. A.); (b) et A. et B. et Ssk. Paddh. sandhi iniuria utuntur, habent *saushadhíbhir* A. et Ssk. Paddh., *saushadhibhir* B.; (c) A. *âyushmân*; (d) A. *âyushmantas*; (e) A. habet *te* ['] *mrter*, Ssk. Paddh. *te* ['] *mrtair*; in solo B. inest vera lectio; (f) B. *dasikshi*°.

„Tum âyushyam facit. In umbilicum auremve dextram ter insusurrat: „Agnis longaevus, is arboribus longaevus, ita te perlongaevum reddo, Somus longaevus, is herbis longaevus, ita te perlongaevum reddo, Brahma longaevum, id brahmanis longaevum, ita sqq., Dii longaevi, ii ambrosia

longaevi, ita sqq., *R*shes longaevi, ii votis longaevi, ita sqq., Manes longaevi, ii svadhâexclamationibus [1]) longaevi, ita sqq., Sacrificium longaevum, id donis longaevum, ita sqq., Oceanus longaevus, is fluviis longaevus ita sqq."", et carmen, cui est nomen tryâyusham. Si cupit [et] hoc carmine, cuius prima sunt verba *sarvam âyur* (omne aevum)."

Insusurratio supra iam ab Âçv. 2 descripta est. Sed apud nostrum et nomen ceremoniae diversum et carmina prorsus abhorrent ab iis, quae usurpant Âçvalâyani. Prius, cuius prima sunt verba: „*Agnir âyushmân*" Baudhâyanos quoque similiter adhibere, infra videbimus. Multa in eo sunt mythologica, quae pluribus expedire non est huius loci; sententia haec videtur esse: „Sicuti Agnim arbores, Somum herbae, etc., quibus fiunt longaevi, numquam deficiunt, pariter te numquam deficiat, id quod te longaevum reddat, sc. anima". Peculiaris est optio data inter aurem et umbilicum; etenim si Pâraskarum exceperis, omnibus una auris dextra est locus insusurrationis.

Tryâyusham appellatur carmen, quod est V. S. III, 62; id quando in jâtakarmane recitatur, *ûha* fiat necesse est [2]). Hoc enim V. S. III, 62:

tryâyusham Jamadagner Kaçyapasya tryâyusham
yad deveshu tryâyusham tan no astu tryâyusham,

ubi, si pro verbis *tan no astu* posueris *tat te astu* nostrae

---

[1]) In sacrificiis, vel potius, ubi cui quid divinitati e re familiari dono datur, in ignem iniicitur, carmini adiici solet exclamatio *svâhâ*, Manium vero sacrificiis sua est exclamatio *svadhâ*.

[2]) Ubi ad aliam ceremoniam destinatum carmen, levi facta mutatione ad aliam conformare licet, haec mutatio appellatur *ûha*. *Ûham* explicat copiose Nâr. ad Âçv. Grhy. II, 5, 8.

adaptatum erit ceremoniae: „Tres aetates Jâmadagnis, tres aetates Kaçyapi, quae coelestibus sunt tres aetates, eae tibi sint tres aetates". Commentator Mahîdharus ad hunc V. S. locum evidenter, si quid video, annotat: *bâlyayauvanasthavirânâm âyushâm samâhâras tryâyusham*, i. e. „*tryâyusham* una voce complectitur pueritiae, iuventutis, senectutis aetates". Cf. Çat. Br. 12, 9, 1, 8. Proprie *tryâyusham* est dies, trifariam divisus, in mane, meridiem, vesperum; suo autem iure et annum et periodum (*kalpa*) pro longo Indi habent die. Merito et sideribus (v. a. *devâs*) tres aetates esse dicuntur, merito et vitae. Itaque precatur pater, ut tres aetates sint filio suo, ne ante tempus morte corripiatur, ut naturalem senectutis obeat mortem. Cf. A.V. II, 13, 1: *jarâmrtyum krnutam dîrgham âyuh*.

3. *sa yadi kâmayeta sarvam âyur iyâd iti vâtsaprenainam abhimrçet. divas parîty etasyâ 'nuvâkasyottarâm rcam pariçinashti*, i. e. „quodsi is [sc. pater] cupiat [filium] ad omne aevum iturum esse *vâtsapram* recitans eum mulceto. Eius hymni, qui incipit: „*divas pari*" ultimum versum omittit". Est hymnus *Rgv*. X, 45 = V. S. XII, 18, sqq., ad triplicem Agnim, longior quam ut exscribamus, quippe undecim versuum. *Vâtsapram* appellatur a nomine ficti auctoris Vâtsaprin. Cf. infra Âpast. 1. Quid sibi velit spes patris, ad omne aevum filium iturum esse, apparet ex Çat. Br. 11, 8, 3, 6, ubi verborum *sa sarvam âyur iyâd* haec est interpretatio *â haiva jarâyai jîvati* i. e. „ad senectutem vivit". Sententia igitur haec est, patri, si velit filium senem fore, recitandum esse supra dictum carmen. Ceterum cf. *Rgv*. I, 93, 3 *viçvam âyuh* et Taitt. Âr. VIII 3, 2:

sarvam evam te âyur yanti ye prânam brahmopâsate

*práno hi bhútánám áyu*h *tasmát sarváyusham ucyate* [num in fine legendum *sarváyur ucyate*], i. e. „ad omne aevum eunt, qui spiritum, i. e. brahma [omnia pervadens] colunt; spiritus enim viventium vita, ideo omniaevum appellatur", quamquam id magis proprie pertinet ad ceremoniam, mox sub 4 describendam.

4. *pratidiça*m *pañca bráhma*n*á*n (a) *avasthápya brúyád imam anuprá*n*iteti púrvo brúyát prá*n*eti vyáneti dakshi*no *'pánety apara udánety uttara*h *samáneti pañcama*h. *uparishtád avekshamá*no *brúyát. svaya*m *vá kuryád anuparikrámam* (b) *avidyamáneshu.*

(a) B. *brahma°;* (b) In Ssk. Paddh. est *anuparikrâman;* at illud praestat.

i. e. „quinque brahmanes regionatim collocatos alloquitur his verbis: „Animam huic indite." Qui in regione stat orientali dicito ἔκπνει [1]), qui in meridionali διάπνει, qui in occidentali εἴςπνει, qui in septemtrionali ἀνάπνει, quintus pronuntiato πνεῦμ' ἔπεχε. Adverso ore pone eos stans adhortator pater. Ubi brahmanes inventi non erunt, ipse facito ordine circumeundo".

Aliquam huic loco lucem ferunt verba Ssk. Paddh. *pratidiça*m *catura*h *kumárasa*m*mukhát pañcama*m *nairrtyako*ne *paççáttát* (sic legendum pro *paççátát*, quod est in codice) sqq. i. e. „regionatim quatuor collocato brahmanes, oribus in puerum versis, quintum in regione libonoti ore averso." Vetustam *paççáttát* formam, cuius loco dici solet *paççát*, scriptorum vedicorum memoria Gangâdharo suppeditasse videtur. — Si ipse facit pater, brahmanorum inopia, *praishavarjito brúyát*, i. e. „adhortatione (sc. verbis *imam anuprá-*

---

1) *Prâna*, etc. graece verti; singula enim singulis verbis latinis reddere non potui; gravitatis autem est ceremoniae, ut quam brevissima sint iussa.

n*ita*) non opus. Et nomen ceremoniae tradit Gangâdharus *anuprâ*n*anam*.

Anuprâ*n*ani ceremonia, quantum scio, Kâtyâyanorum est propria. Nil enim huic simile in aliis quibus sum usus repperi libris. Quo tendat, facile intellegitur. Manifestum enim, incantationem esse anuprâ*n*anam, quo spiritus in novum intret natum. „Spiritum" autem et „animam" nihil aliud videri hominibus nisi vitam, verbo moneo; res est nota, fere omnium linguarum summo consensu comprobata, vel ipsa „anima" cum *prâ*n*a*, *apâna* aliis una ex stirpe fluxit. Spiritum igitur indentes vitam et animum indunt. Confirmant hanc ceremoniae interpretationem loci quibus occurrit subst. *anuprâ*n*ana* et verbum *anuprâ*n*iti*, pauci. Ex quibus duos profert Lex. Pet. Alter est Prabodh. pag. 68, reg. 2, ed. Brockh. *aha*m *ca yathâsamaya*m *prâ*n*âyâmâdyanuprâ*n*anenâ yushmatsainyam anugrahîshyâmi;* in his et sensus postulat, et scholiasta monet [1]), ut sit pro „incitatione, adiumento" Alterum locum Taitt. Upan. 2, 3, quem ipse non inspexi, ex Pet. Lex. s. v. (*anupra*)*an* comperi huc non facere. At Râjatar. I, 364 perperam separatim edi *anu prâ*n*itâs* demonstravit mihi v. cl. Kern; sententia enim haec est: „hac re incitati, animati", i. e. *anuprâ*n*itâs*. Ex his igitur consecuti sumus, quod et aliis locis comprobatur, vocabulo *anuprâ*n*ana* esse vim „incitationis, animum firmandi, animos addendi", vel si verbo verbum reddere conandum est, ex compos. vocis lat. „spirare" modo placet „adspirare" eo sensu, quo poëta: „Vos ..... adspirate canenti", modo „inspirare". In nostra ceremonia hoc praestat.

---

1) Interpretatur enim voce *anupreshana*.

Habent hoc incantationes quod quam accuratissime enuntiant id, quod fieri volunt, singularum partium, quibus id constat magnam habent rationem, caventes, ne quam praetermittant, maximeque abhorret ab animis precantium, ut eius rei quam petunt summam designantes vage precentur. Indis autem, minutissime omnium mortalium distinguentibus inter singulas res humanas, divinas, fere nulla res non certam habet stabilemque divisionem. Spiritus quinque esse momenta, traditum est. Qui exhalatur spiritus, vocatur *prâna* sensu angustiore [1]; *apâna*, quem spirando corpori inferimus [2], *vyâna* qui „per omnes diditur artus", *udâna*, quem e corpore anhelamus sive suspiramus. *Samâna* denique appellatur intervallum inter duo momenta *τοῦ εἰςπνεῖν καὶ τοῦ ἐκπνεῖν*; id ergo temporis spatiolum, quo non est spiritus. Atque hac in re videri potest, quantopere sibi constet Indorum mythologia; cum enim *samâna* sit intervallum, quo desit spiritus, porro persona mythica *τοῦ samâna* necessario perpetua sit spiritus absentia, v. a. mortis persona, in aperto est illam deam malam, Nir*r*tim = „dissolutionem, interemtum" unam esse cum *samâna*. Atqui Nir*r*ti deae regio libonoti est sacra, ab ea et nomen ductum *nairrtya*. In ea igitur regione stanti brahmani pronuntiandum solenne illud *samâna*. Quae autem ratio inter cetera spirituum genera suasque regiones intercedere videatur, certo indicare non possum, nisi Indos moverunt praepositiones *pra*, *apa*, *ud*, ut *prâna* orienti, *apâna* occidenti, *udâna* septem trioni-

---

[1]) Latiore enim sensu *prâna* spiritus est nomen generale.

[2]) Inde Apânus in Mhbh. 12, 12397 appellatur Prâ*n*i filius. — In Lex. Pet. falso scriptum est, *apâna* τῷ ἐκπνεῖν, *prâna* τῷ εἰςπνεῖν respondere. At vide Goldstücker in Lexico suo s. v. *apâna* et Çat. Brâhm. 6, 2, 2.

bus coniungerent. De *vyâna* ne hoc quidem ponere licet.

Spirituum genera ut divinitates nonnumquam implorantur, neque Ath. Vedus huiusmodi precibus caret (vid. v. c. XV, 15, 16; II, 28, 3 alia). In pûrushi carmine (A. V. X, 2) vs. 13 rogatur:

ko asmin prânam avayat ko apânam vyânam u
samânam asmin ko devo adhi çiçrâya pûrushe.

i. e. „quis ei prâ*n*am contexuit, quis apânam, qui deus samânam in pûrusho posuit?" Utrum poetae haec canenti anuprâ*n*ani ceremonia in mente esset, annon, non liquet.

5. *sa yasmin deçe jâto bhavati, tam abhimantrayate*
veda te bhûmi hrdayam divi candramasi çritam
vedâ 'ham tan mâm tad vidyât

paçyema çaradah çatam jîvema çaradah çatam çrnuyâma çaradah çatam iti

i. e.: „Locum, in quo est infans, alloquitur (sc. pater): „„Novi cor tuum, o terra, in coelo in luna quod consistit; id ego novi, me id noverit! Utinam centum annos videamus, utinam centum annos vivamus, utinam centum annos audiamus!""

Carmen prius et in aliis pronuntiatur ceremoniis; veluti apud Pâr. I, 11 in fine caturthîkarmanis, quae ceremonia quarto fit die post nuptias, ubi pro verbis *veda te bhûmi* legimus: *yat te suçîme.* Uxorem enim hoc carmine alloquitur maritus. Eadem verba *yat te suçîme* Weber, Stud. Ind. V, 236 in ann. docet initium alius carminis apud Gobhilum facere in jâtakarmanis descriptione: „Die Anfangsworte dieses Verses finden sich auch bei Gobh. 2, 8, 3 bei einer Heilceremonie für den neugebornen Knaben verwendet, den die Mutter dem Vater reicht, worauf dieser murmelnd den Vers recitirt: dabei

die Lesart (Jay.'s) *susîme*, als Variante neben *suçîme*." *Susîmá* autem = καλλόθριξ, εὔθριξ; *suçîmá* ab Haasio Stud. Ind. l. l. germanice redditur „hold". Et apud Âpastambum in aliam eiusdem carminis recensionem incidi (vid. infra). Cf. et Âçv. 1, 13, 7. — Alterum carmen *paçyema* etc. et alias et in nuptiarum ritu recitatur (vid. v. c. Pâr. I, 6 in fine).

6. *athainam abhimr̥çaty*

açmá bhava°.

Idem carmen, quod in Âcv. 3. Pro *astr̥tam* codex A habet *astutam*, B *asnutam*, Ssk. Paddh. aut hoc aut *asrutam*. Sed *astr̥tam* Âçv. unice est verum. — Pro *vedo vai°* apud est *âtmá vai°*, i. e.: „ipse ego tu es filii nomine" etc.

His jâtakarma proprium finitum. Sed continuatur stanapâno. Iam eo trahenda ceremonia, quae statim succedit.

7. *athá 'sya mátaram abhimantrayate*

Idá 'sy Maitrávaruṇí víre víram ajíjanah (a)

sá tvam víravatí bhava yá 'smán víravato 'karah (b) *iti*

(a) Sic metro iubente, legendum pro *ajîjanathâh*, quod in codice; — (b) Mutavi codicis *'karad*; vix enim id recte se habere potest, fortasse librariorum negligentia vel inscitia natum e vera lectione *víravato akar*.

lat. „Tum eius matrem alloquitur: „„*Idâ* es filia Mitrâvaru*ṇ*i, virum, o virago, peperisti; tu salvo sis viro, quae nos virorum patrem reddidisti."" — Ssk. Paddh. similia, haec vero addit, haud dubie e libello metrico nescio quo desumpta:

ásínah práṅmukhah çayyám víkshayan samputáñjalih

i. e. „[haec pronuntiet] sedens orientem versus, oculis in lecto defixis, manibus in modum sam*p*u*ṭ*i coniunctis", i. e. manuum extremis digitis hypothenaribusque ita appositis, ut cavum in medio relinquatur, quemadmodum duos nucleos dimidiatos coniungeres.

De I*d*â vid. Wilson Vish*n*upur. pag. 349, et ibi ann. 5. De cuius personae mythicae significatione et quae de ea tradantur fabulae pluribus hic agere non attinet; hoc constat, *idá* (= *isdá*) et cognatas formas *ish* et *irá* vedice designare „vitae sucum, cibum vitam sustentantem foventem." Neque raro *idá* in nomen vertit vaccae, sive quia vacca Indis est lucis imago, sive generis humani altricem hac appellatione designaverint. Merito certe per vocem I*d*â compellatur mater, infantis sui nutrix, cibus ipsa. — In voce *víravatí* levis inest ambiguitas; et „marito praedita" et „filiis praedita" sic potest appellari.

8. *athá 'syai* (a) *dakshi*nam *stana*m *prakshâlya prayacchati*, „*ima*m *stanam" iti „yas te stana" ity uttaram etábhyám*

(a) A *arthasyai.*

i. e. „tum eius mammam dextram postquam lavit, [infanti] offert, hoc versu „*ima*m *stanam*" sqq. (V. S. 17, 87) versu „*yas te stana*" sqq. (*R*gv. I, 164, 49) laevam." [1]) Totum utrumque versum exhibet Ssk. Paddh. Prior sic se habet:

*ima*m *stanam úrjasvanta*m *dhayá 'pá*m
*prapína*m *Agne sarirasya madhye*
*utsa*m *jushasva madhumantam arvant*
*samudriya*m *sadanam á viçasva*

---

1) Res haud satis verbis aequata. Incuriosius scriptum sûtrum duabus favet interpretationibus neutram probat. Aut enim res ita proponi videtur, ut duobus versibus dextram pater lavet mammam, deinde laevam iisdem. At pro *uttaram etâbhyâm* exspectares *tâbhyâm eva* (vel *etâbhyâm eva*, *âbhyâm eva uttaram*, quemadmodum Âpast pray. versuum repetitionem declaravisse videbis infra, (pag. 73). Aut priore versu dextra, tum laeva altero est lavanda. At abundat *etâbhyâm*. Hanc tamen secutus sum interpretationem, quippe quam defendat Ssk. Paddh. expressis verbis dextrae mammae priorem tribuens versum, alterum laevae.

Ecce novum documentum rationis, quam saepe secuti sunt ii, qui ceremonias carminibus ornaverunt perperam intellecta verba ad res diversissimas trahentes. Nihil enim versui laudato cum matre nihil cum filio sugente. Solem procul dubio respiciens Agnim cecinit poëta: „Hanc mammam, in medio [positam] aquarum exsuge o Agni (solaris) suculentam, humoribus refertam, fontem deliba dulcem, o cursor, oceanicam sedem intra." Prior enim regula alloquitur altum solem, coelum permetientem, humores ex terra, quae in medio aquarum, i. e. Oceani est posita, extrahentem, altera iam ad occasum vergentem, iam in eo ut sedem Oceani petat. Haec simpliciter et poëtice dicta facile intelleguntur. Sed Indorum theologi, ut fit, verbis et rebus simplicissimis sensum aliquem occultum subiectum esse putantes et nostrum versum aliter acceperunt, atque poëta. Commentator enim V. S., Mahîdharus, rem in hunc proponit modum. Non solem invocat poëta, sed ignem sacrificialem sacerdos, *stanam* tum est aut cochlear, cui nomen est *sruc*, aut guttae butyri liquefacti, de ea destillantes. *Utsam* Mahîdharo valet *sruglakshan*am *kûpam*; *madhumantam* = *gh*r*tena yuktam*; *arvant* = *sarvato gantah*. Nota et haec: *samudriyam* (*samudrasa*m*bandhi cayanayâgasa*m*bandhi*) *sadana*m (*gh*r*tam*) *âviçasva* (*yajñagh*r*ta*m *sevasva*). Ex quibus haec evadit sententia: „Hoc suculentum cochlear delambe, o ignis, laticis plenum, in medio liquore srucem deliba butyrosam circumveniens, sacrificiale pete butyrum." Nostra vero in ceremonia denuo non detorta esse sententia non potest; cum tamen non inciderim in commentarium, qui in sinuoso subtilitatum labyrintho versanti viam monstraret, quo pacto versum huc spectare defendatur, crassior

natura mea non videt. Absurde enim ei novus natus „cursor" appellari videtur et „ignis"; quae vero sit oceanica domus, nequaquam intellegit, nisi forte ita accipias, ut significet mammam.

Alter versus:

*yas te stana*h *çaçayo yo mayobhûr yo ratnadhâ vasuvid ya*h *sudatra*h
*yena viçvâ pushyasi vâryâ*ni *Sarasvati tam iha dhâtave ka*h.

pariter inique habitus est, jâtakarmani intextus. Id cuivis manifestum, qui viderit Sarasvatim invocari. Haec enim poëta: „Quae mamma tua recreat, vitam vigoremque dat, quae eximia bona dona praebet, qua omnes res optatas alis, eam nobis, o Sarasvati sugere sinas". — In utroque versu una vox *stana* (mamma) homines movisse videtur, ut quam maxime aliena carmina stanapâno adiungerent.

Propius ad rem accedit versus, quem Pray. Ratn. addit stanapâno, in ceteris cum Pâr. conspirans unam vero mammam et eam dextram memorans. Etenim in hunc modum stanapânum describitur in Pray. Ratn. *yathâcâra*m *hiranyodakena mâtur dakshi*nam (a) *stana*m *prakshâlya*

om imâm kumâro [*jarâ*m] (b) *dhayatu dîrgham âyu*h *pra jîrase*
asyai stanau prayuñjâna (c) *âyur varco yaço balam*

*iti mantre*na *mâtrâ kumâra*m *pâyayitvâ*°.

In his (a) in edit. legitur *dakshinastana*m; mutàvi. — (b) *jarâm* abundat; expungendum. — (c) Sic monente viro cl. Kern scripsi pro absurda editionis lectione *prayuñjâtâm.*

Latine ea verba sic fere sonant: „de more ea aqua, qua aurum [modo laverit] (cf. supra pag. 56) matris dextram lavato mammam, tum hoc carmine: „„hanc sugat puer, ut longam vitam protinus vivat, huius mammis utens vitam, vigorem, formam, vires sugat,"" infantem per ma-

trem alito." Cum verbis *pra jîvase* cf. *R*gv. I, 53, 4: *dîrgham âyu*h *pratara*m *dadhânâ*h.

Casto illo et pio postquam functa est suo munere mater, somno traditur satur infans. Huic

9. *udapâtra*m *çirasto nidadhâty*
âpo deveshu (a) *jâgratha yathâ deveshu jâgratha*
*evam asyâ*m *sûtikâyâ*m *saputrikâyâ*m *jâgratha* (b) *iti*

(a) B. *devishu;* — (b) Pro *jâgratha* reponi oportebat solitam formam imperativi *jâgrata*, quam infra in Âpastambîyaprayogi expositione jâtakarmanis scriptam esse videbis. Sed nil mutavi; potest enim h. l. exstare exemplum alius imperativi formae, quamvis praeceptis grammaticae exclusae, unde terminationes prâcriticae *dha*, *ha* ortae sunt.

i. e. „vas aquae repletum a capite statuit, hoc carmine: „„aquae inter deos vigilatis, uti inter deos vigilatis, ita huic puerperae filioque eius vigilate."" Praecipit Ssk. Paddh. *tad daçâha*m *tish*th*et,* i. e. „ut id vas per decem dies ibi stet", v. a. usque ad nâmakara*n*i ceremoniam, qua nomen accipit novus natus, quaeque fit eo die, quo primum mater de lecto surrexit.

Sed iam pervenimus ad fines, quos circumdedimus nobis. Ad malos enim daemones repellendos valet vis aquae. Itaque in posterum tempus, si per deos licet, dilata inquisitione in memorabiles illas, quae apud Pâr. sequuntur incantationes (de quibus vid. Stenzler in Zeitschr. d.d. morg. Ges. VII, pag. 531 sq. cf. A. V. VIII, 6, et Âpastambîyapr. pag. 35) remque divinam, quae per totum tempus puerperii est peragenda, transeamus ad scholam tertiam Âpastambinum; deficiente sûtro, dux erit nobis Âpastambîyaprayogus. Is jâtakarmanis descriptionem sic incipit (pag. 34a):

1. *jâta*m *kumâra*m *prâñ nâbhivardhanât pitâ divasparîty anuvâkenâ 'nte sak*r*d abhim*r*çya,* i. e. „simul natus est puer ante funiculum abscissum pater semel eum mulceto, carmen

recitans, cuius initium *divas pari*." Vocem *ante* de industria vertere supersedi; vehementer enim eam corruptam esse suspicor, quid enim esset „in fine" (id enim valet *ante*) puerum mulceto. Legendum puto *amse* i. e. umerum pueri (propr. in umero puerum) mulceto." Umerum pater ut mulceat, Âçv. 3 praecipere supra vidimus (vid. pag. 58); quidni idem noster praescribat? Neque rationes palaeographicae adversantur coniecturae; in codice enim de more pro *ante* scriptum est *amte*. — De ipsa ceremonia cf. Pâr. 3; „*divas pari*" est initium vâtsapracarminis.

2. *asminn aha*m *sahasra*m *pushyámy edhamána*h (a) *sve vaçe*

(a) Cod. *edhâmânâh.*

iti svánke kumáram ádháya, i. e. „puerum brachiis tollit, dum haec pronuntiat: eo ego magnopere ditatus sum, proprio crescens dominio." Cum ultimis verbis cf. Çat. Br. 14, 9, 4, 23: „*edhamána*h *sve grhe*." Obiter moneo, rem referre Romanorum illud „tollere liberos." Sed plura de ea re infra suo loco.

3. *angád angát sa*m*bhavasi hrdayád iva jáyase*
*átmá vai putranámá 'si sa jíva çarada*h *çatam* (cf. Pâr. 6)
açmá bhava° (hic versus idem atque apud Âçv. 3).
paçúnám tvá hinkárená 'bhijighrámy asáv

ity ábhyám tam abhimantrya tábhyám eva múrdhany âghráya te evarcau dakshine karne japet. asáv iti stháne nakshatranámná sambuddhyantena nirdiçati.

i. e. „Puerum alloquitor his duobus versibus 1⁰ „„ex singulis (meis) membris exoriris, tamquam ex corde meo nasceris, ipse ego tu es filii nomine" sqq. (cf. Pâr. 6). 2⁰ cuius priores duae regulae = primus versus in Âçv. 3 „fi lapis etc." ultima „pecoris murmure os meum tibi appono o tu"

iisdem caput osculator, eosdem in aurem dextram insusurrato, loco vocis „*asau*" („o tu" vel etiam rectius ὦ οὗτος) ponito nakshatranâma [1]) casu vocativo."

Monendum *âghrâ* et *abhighrâ* propie „odorationem" designare, cum significent „nasum ad aliquem apponere caritatis gratia", quod osculandi locum tenet. Ambiguitatem eam, quae in verbis inest, in versione latina servare non potui. Osculatio hic nova est, allocutio (*abhimantra*na) et in aurem insusurratio iam Âçv. et Pâr. scholis communis.

E versibus, huic ceremoniae appositis, primus solet recitari a patre ex itinere reduce (*pravâsâd etya*). Vid. Âçv. I, 13, 7; Pâr. I, 22 in cod. A = 19 (cod. B) = 18 (cod. Ber.); Âpastambîyapr. pag. 35b; 36a. Bis igitur et in jâtakarmane et post reditum ex itinere eum versum profert noster. Pulcherrimum illud: *angâd angât sambhavasi* in mentem vocat Genesis 2, 23: „hoc nunc os ex ossibus meis et caro ex carne me." Quae sequuntur *hrdayâd iva jâyase* illustrare licet iis, quae Weber monet (Ueber die Nakshatra, in Abhandl. der Berl. Akad. 1861, pag. 314): „Ist das Kind ähnlich, so sagt man, es sei (dem Vater) wie aus dem Herzen gekrochen *hrdayâd iva srpta*h. Çat. Br. 14, 6, 9, 23 (cf. 9, 4, 8)." Id procul dubio spectat versus noster.

Tum demum fit prâçanum. Sic enim pergit noster [2]).

4. *madhughrtam* (a) *iti sa*m*srjya tasmin darbhe*na *hira*n*ya*m *çikhâbandhavat sarandhre*na *granthinâ baddhvâ* (b)

(a) Inter *madhu* et *ghrtam* siglum quoddam interpositum, quod non intellego; — (b) cod. *vadhvâ*.

---

[1]) i. e. nomen ductum ex constellatione sub qua natus est infans.

[2]) Praetereo ea, quae de formatione nakshatranâmnas apud Âpast. sequuntur osculationem inter et prâçanam interposita.

i. e. „Mel, ghṛtam" dum pronuntiat verba, res commisceto, super iis aurum graminibus vincito, ut crista vincitur nodo in quo est foramen." Res non satis perspicue proposita; hoc profecto patet 1°. auri abesse pulvisculos, quoniam cum *çikhâ* comparatur aurum; 2°. auri lamellam per gramen cum cibo coniungi. Quid vero opus gramine? Si enim hoc tantum quaeritur, ut aliqua ex parte cum melle et butyro liquefacto cohaereat aurum, satis fecisse videtur pater auro in medio cibo collocato. Itaque aliorsum videtur spectare gramen, quid vero sibi velit, ex solo prayogo non perspicio. Neque rem illustrant verba *çikhâb.sar. granth.* = *yathâ çikhâm badhnâti sarandhreṇa granthinâ tathâ hiraṇyam badhnâti darbheṇa.* Etenim *granthi*, i. e. „nodus" non potest comparari cum *darbha* „graminibus", quae variis complicata flexuris nodum faciant. Reliquum est, ut *granthi* et *darbha* inter se opponi nequaquam voluisse scriptorem putemus; hoc enim instrumentali appellari rem, qua vinciatur aurum, illum designare, quomodo vinciatur. Iudicium permittatur lectori.

5. *medhâm te devaḥ Savitâ, medhâm devî Sarasvatî*
medhâm te Açvinâv ubhâv âdhattâm pushkarasrajâ [1]
tvayi medhâm tvayi prajâm tvayy Agnis tejo dadhâtu
„ „ „ „ *tvayîndra indriyam dadhâtu*
„ „ „ „ *tvayi Sûryo bhrâjo dadhâtu* [2]
iti hiraṇyena saṃsṛṣṭam ghṛtam gṛhîtvâ kumâram sakṛd prâçayitvâ i. e. „dum pronuntiet versus duos, priorem „mentem tibi deus Savitar, sqq." [quem vide in Âçv. 2], alterum: „„in te mentem, in te prolem, in te Agnis splendorem ponat, in te m., in te pr., in te Indrus potentiam (vires) ponat, in te m., in te pr., in te Sûryus nitorem ponat."", cum

auro cohaerens [1]) butyrum capito, eo puerum semel alito.

Haec prâçani forma propius accedit ad eam, quam Āçv. tradit; versus vero *medhâm te°* apud illum in aurem insusurratur, iam peracto prâçano. Carmen *tvayi medhâm°* unus Āp. in jâtakarmanis habet ritu; in upanayani sacramento [2]) et ceteri fontes fere omnes et ipse Āp. praecipiunt. Exemplum unum e multis eius rei, quam hic statuimus, postea probaturos nos esse speramus, multa et carmina eadem ritusque eosdem pluribus esse communia sacramentis, cuius rei in enucleandis ceremoniis rationem haberi oportet. Iniuria tamen in medium jâtakarma devenisse carmen, de quo agimus ipsa eius natura mihi indicare videtur.

Peracta cibi initiatione Āpast. puerum lavari iubet, qua in re patri est recitandum carmen, quod paucis mutatis inest in Ath. Ved. II, 10. Quod dico „paucis mutatis" ita dico, ut lectionum varietatem scribarum partim erroribus natam esse existimes, partim et diversae recensionis vestigia pateant. Quam exhibet praeter nostrum et Taitt. Brâhm. II, 5, 6, 1 vs. 3-7 et Baudhâyanaprayogus bis, pag. 37ᵃ, ubi de jâtakarmane agit (vid. infra), pag. 65ᵇ sq. in upanayano. Utramque recensionem subiicimus. Praeeat A. V. II, 10

kshetriyât tvâ nirrtyâ jâmiçamsâd druho muñcâmi Varunasya pâçât anâgasam brahmanâ te krnomi çive te dyâvâprthivî ubhe stâm. 1.

çam te (a) *Agnih saha adbhir astu çam Somah* (b) *saha oshadhîbhih*

---

[1]) Solet, quod *samsrshtam* vocatur, latine esse tum „commixtum", tum „connexum".

[2]) Upanayanam est sacramentum, quo praeceptori traditur puer Indus e tribus superioribus ordinibus, ut libros discat, sacrum religionis cultum continentes.

eváham tvá kshetriyán nirrtyá° [ea verba post singulos versus 2–8 repetita semel in fine exscripsimus]. 2.
çam te váto antarikshe vayo dhác cham te bhavantu pradiçaç catasrah. 3.
imá yá devíh pradiçaç catasro vátapatnír abhi súryo vicashte. 4.
tásu tvá 'ntar jarasy á dadhámi pra yakshma etu nirrtih parácaih. 5.
amukthá yakshmád duritád avadyád druhah pácád gráhyáç ca udamukthah. 6.
ahá arátim avidah syonam apy abhúr bhadre sukrtasya loke. 7.
súryam rtam tamaso gráhyá adhi devá muñcanto asrjan nir enasah eváham tvá kshetriyán nirrtyá jámiçamsád druho muñcámi Varunasya pácát. 8.

Sequitur in editione versus 1mi altera pars *anágasam° stám* inepte repetita.

(a) Metrum ruit; pro *te* reponendum *tubhyam;* — (b) In integrum restitutus versus, si mecum legas *çam Somo astu saha°.*

Tum recensio altera, quae est in Taitt. Brâhm., Baudh. pray. | bis et Âpast. pray. Quorum librorum ubi lectiones discrepent, annotavimus. Vocabula, quibus asteriscum praeposuimus in eum adulterata esse videntur finem, ut se fraude jâtakarmani inserere liceret carmen nostrum. Unum praestat haec recensio quod repetita ea *evá 'ham°* recte omittit, quippe quae abundent, in fine suo loco posita retinet. Ceteras lectiones potiores parvula crucis figura vocabulo praefixa significavi.
* *kshetriyai tvá* * *nirrtyai tvá* (a) *druho muñcámi Varunasya páçát*;
anágasam brahmane † *tvá* (b) *karomi çive te dyávâprthiví ubhe ime*. 1.
çam te (c) *Agnih saha adbhir astu çam dyávâprthiví* (d) *sahaushadhíbhir çam vátena saha te antariksham* (e) *çam te catasrah pradiço bhavantu* (f). 2.
yá daivíç catasrah pradiço (g) *vátapatnír abhi súryo vicashte*
† *tásâm tvá jarase á dadhámi pra yakshma etu nirrtim parácaih*. 3.

amoci yakshmâd (h) *duritâd* * *avartyai* (i) *druha*h *pâçân* * *nirrtyai*
codamoci

ahâd avartim avidat syonam apy abhûd bhadre sukrtasya loke. 4.

*sûrya*m *rta*m *tamaso grâhya yad* (k) *devâ amuñcann asrjan vy enasa*h
*evam aham ima*m (l) *kshetriyâj jâmiçamsâd druho muñcâmi Varunasya pâçât.* 5.

(a) Apud Baudh. pag. 37[a] additur *jâmiçamsâd*; — (b) Hoc unice verum habet Baudh. l.l. Ceteri minus recte *te*, pariter atque Ath. Ved.; — (c) Et hic mutandum: *tubhyam;* — (d) Per socordiam soribarum, opinor, ex versu superiore *dyâvâprthivî* huc irrepserunt; vetustatis sane praesidio munitus est error quippe qui in Taitt. brahm. non minus insit, quam in prayogis; — (e) Haec de meo posui pro iis, quae leguntur metro adversante *çam antariksham saha vâtena te;* — (f) Cdd. miro consensu pro *catasra*h dant *canasa*h; — (g) *Daivî*h omnibus libris commune. Fortasse huius tertii *pada* antiquior forma in hac recensione servata est. Si enim vocem *daivî*h per tres syllabas pronuntias, voci *pradiça*h autem quatuor tribuis deinde ea transponis, ut sint *pradiçaç catasro* metrum est in integro. Neque verisimilitudine caret coniectura, qua *ime*, quod in A. V. ante *yâ* est positum, metri explendi gratia (videbatur enim ruere) a nescio quo viro docto esse adiectum statuas; — (h) In Âp. pray. prima verba male sunt habita; legimus enim *amovikshmâdduritâd*, quod monstrum ortum est ex *amoci* [*ya*]*kshmâd°* syllaba *ya* praetervisa, atque *vi* perperam exarato pro simillimo charactere *ci*. In Baudh. pray. est *amovi ya°;* — (i) Errore preli in Taitt. Brâhm. editum est *avartya*, ut satis patet ex eius editionis commentario, apud Apast. lapsu calami est *avatyai*; — (k) Praestat, quod habet A. V. *grâhyâ adhi;* — (l) Si recte se habent verba, tria vocubula τετρασυλλαβικῶς recitari oportet.

De industria igitur nonnulla mutando propria significatione subversa carmini supposita est, alia, quae statui recens nati magis conveniret. Etenim nemo, qui ea, qua in Ath. Veda editum est recensione diligenter perlegerit non compertum habebit, recens natum ne in mente quidem habuisse poëtam; si quid aliud, convincent verba *druho, Varunasya pâça, anâgasam.* Aegrotum vero incantari ex toto

patet carminis tenore, quod genus precum plenum esse Ath. Vedum satis est notum. Si hoc tenes, vide num tibi absurda videatur haecce versio:

„[Malo tuo] te libero sive localis sit morbus, sive vis malefica te incesserit, sive humana imprecatione (diris), scelere [te libero] et Varu*n*i vinculo, innocuum te prece reddo. Propitia sint tibi coelum terraque, propitius sit Agnis tibi cum aquis, propitius Somus cum herbis, propitie tibi ventus in aëre vigorem praebeat, propitiae tibi sint quatuor regiones. Quas divas quatuor regiones, venti uxores, adspectat sol, his te trado, ut senex fias, longe abeat morbus, vis malefica. — Solutus es morbo, periculo nefando, etiam exsolutus scelere (et Varu*n*i) vinculo et inferis, malum (sc. perniciem) reliquisti, bonum (sc. lucem) recuperasti; devenisti in faustam regionem benefactorum (i. e. peccatis remotis beneficia tua tantum splendent, cf. A. V. VI, 26, 1: *ava má pápmant srja vaçí san m*r*d*a*yási na*h*, á má bhadrasya loke pápman dhehy avihrutam*). Solem rite ex tenebris circumvenientibus dii solvebant, iniuria removebant, sic ego te morbo solvo locali, humana imprecatione, scelere, vinculo Varu*n*i.'

Pauca his adiicio. *Kshetriya* optime respondet lat. „localis"; quae aliae sunt editae interpretationes in Lex. Petrop. s. v. et a Webero Stud. Ind. V, pag. 145 minus placent, quippe quas sententia vetet. Quam simplicissime a *kshetra*, „locus" fit *kshetriya* „localis", itaque morbus, qui est *kshetriya*, est „morbus localis, loco quodam natus" vel „qui loco quodam exoriri solet" [1]). Cf. A. V. II, 8. Ibidem 14,5

[1]) Recte, si aliquid video, Pâ*n*inis vocabulum *kshetriya*, ubi de morbo res est explicavit per *parakshetracikitsya*; *parakshetracikitsya* autem sig-

de daemonibus malis legimus: *yadi stha kshetrîyá*ṇá*m yadi vá purusheshitá yadi stha dasyubhyo játá naçyateta*ḥ *sadánvá*ḥ, i. e. „sive in localium estis numero, sive ab hominibus missi, sive ab hostibus excitati, abite hinc, o daemones (?)" — De *Nirrti* dea iam in anuprâṇano diximus; est vis malefica, hominibus infesta; — *jámiça*ṃ*sa,* dirae, quas effati sunt *jámayas.* Qui autem *jámayas?* Propinqui neque sanguine solo coniuncti; latius enim patet ea vox, cui apte componas qui graece dicuntur οἱ πέλας, οἱ πλησίον. — *Varu*ṇ*asya páça* si verbo verbum reddis, est „vinculum Varuṇi". Varuṇus autem, omnia amplexans Indis est vis illa, quae mundi ordinem servat ideoque nullum peccatum impune ferri sinit, haud absimilis Graecorum Δίκης. Vinculo Varuṇum instruit mythologia, quo mali circumdantur, ita ut fugere nequeant; latine igitur *Varu*ṇ*asya páça* respondet „merita poena". Et mors significatur; nemo enim et hanc fugit.

Primo versu vi precis aegrotum malo sibi videtur liberare is, qui carmen recitat. Versu secundo et tertio potestates, quae sunt in mundo, coelum terraque, sol et luna, aër et regiones cum earum attributis, ut propitiae sint illi, petit. Habent autem hoc cum permultae incantationes, tum nostra, quod, postquam verbis solennibus, ut aliquid fieret, precati sunt, tum id ita factum esse gloriantur. Pergit igitur poëta his: Iamiam liberatus es malo, quo eras oppressus, ad vitam et felicitatem rediisti. Sicuti solem [quotidie] dii tenebris nocturnis liberant, in coelum revocant, sic ego te malo tuo libero.

---

nificat „in alio agro (i. e. per migrationem tantum) sanabilis", non ut scholiasta quidam nugatur „in alio corpore sanabilis".

At qua ratione egerint ii, qui jâtakarmani ea adaptaverint, commentarius Taitt. Brâhm. editioni Calcutt. adiectus, cuius auctorem titulus Sâyanum declarat, Mâdhavum introitus metrici [1]), nos docebit. Simul nobiscum reputemus id quod supra memorare oportebam, Âpast. pray. praecipere ut filium lavandum curet pater, dum recitet carmen; haec enim carmini addit: *iti pañcabhi*h *snápayitvá.* Initiale illud *kshetriyád,* morbum localem praeclare significans in primis aut tali mente erat intellegendum, ut a recens nato non nimium abhorreret, aut demutandum. Hoc factum est. Legimus enim eius loco *kshetriyai* [2]) dativ. subst. fem. *kshetrî*; tum *nirrtyai* positum est pro *nirrtyá* Ath. Ved., dat. pro abl. Quod interpretatur scholiasta his verbis (edit. pag. 626): *etasya mantrajâtasya jâtakarmavishayatvât kumâro'tra sambodhyate. he kumâra tvá*m *Kshetrînâmikâyá rakshojâte*h, *druha*h *drohât vo* (l. *tvâm*) *muñcâmi* ...... *bâlopadravakâri*ṇ*î kâcid rakshojâti*h *kshetrî, tathâ 'nyâ rakshojâtir nirrti*h, *tasyâ api drohât tvá*m *muñcâmi. Kshetrî* igitur non minus quam *Nirrti* daemo putatur malefica, morbos pueris afferens *bâlopadravakâri*ṇ*î.* Eius vocis, siquidem vox fuerit, etymologiam recte mihi videtur statuisse Weber. Stud. Ind. V. pag. 145 derivans a radice *kshi,* quae „laedendi" habet vim. Hoc constat, tamquam morborum incantationem aetatem puerilem infestantium partim, partim lustrationis in modum carmen nostrum in jâtakarmane adhiberi. Namque cum

[1]) Eadem est dubitatio in commentario, quo Taittirîyi Vedi in Biblioth. Indica editio est instructa. Vide eam edit. vol. I, pag. IV, ann.

[2]) Ex constanti usu, quem sequuntur scripta liturgica, ad Nigrum pertinentia Yajus, pro *y* et *v* praecedente consonante saepius scribitur *iy* et *uv.* In aliis libris exaratum fuisset *kshetryai.*

in fine vox *kshetriyád* non sit labatum, aliter explicetur necesse atque supra vidimus in recensione Ath. Ved. Atque ea explicatio ita in promptu, ut iam prius quam consulerem Taitt. Brâhm., de ea cogitaverim. Etenim *kshetra* cum habeat etiam vim „uteri”, *kshetriya*, „uterinus” sit necesse. Quid simplicius, quid facilius, quam ut uterino malo, uterina impuritate, sordibus novum natum carmine liberet pater? Nam et reapse sordidus est natus et ex Indorum mente impurus (vid. Man. II, 29). Comprobat haec scholiasta ad ultimum versum annotans: *kúdrçát páçát, kshetriyát. kshetra*m *garbhasthána*m *tatrotpannatvát.* — *Jámiça*m*sád* quod vocabulum prudenter in primo versu expunxere ii, qui carmen recensebant, in fine eos fefellit. Diris in prece paterna, qua filium malis liberet, non esse locum admodum est manifestum. Deprehensos adulteratores nonne cernis? Nisi forte stare praestet cum scholiasta, *jámiça*m*sád* ut adiectivum interpretante per *álasyaprakhyápakát*, i. e. „[vinculo Varu*n*i, uterino,] imbecillitatem manifestante (declarante)”. — Cetera, quibus duae discrepant inter sese recensiones nostrae, indicare non opus; componenti eas patebunt. Unum *avartyai* in versu quarto quod legimus pro *avadyád*, si post ea, quae hucusque disputavimus, documentum desiderares quo tolleretur omne dubium de mutato carmine atque mutilato, sufficeret. Non facile enim tibi persuaseris, antiquiorem esse lectionem Âpast. eorumque, qui stant cum eo, si hoc tenueris sexcenties in Vedis legi *duritád avadyád*, constanter inter se coniuncta. Mutatum vero *avartyai* eam divinitatem vel vim maleficam significat, quam versu priore *Kshetrîm* appellari videmus. Neque *Avarti* multum differt a *nirrti* et *árti*; cf. A. V. X, 10: *ártir avartir nirrti*h *kuto nu purushe 'mati*h; quae

singula verba res adversas, mala designant. — Carmen quale ex officina theologorum iterum prodierit, iam versione latina indicabimus: „Iniuria te libero [daemonis] Kshetris [iniuria daemonis] Nirrtis te libero, vinculo Varuni (i. e. morbo *rogaviçeshâd* Schol.), purum te reddo ad rem divinam (*brahmane: parivrdâya jâtakarmâdisamskârâya* Sch.). Propitia [sint] tibi hoc coelum terraque, propitius sit Agnis tibi cum aquis, propitius [Somus] cum herbis, propitius cum vento sit tibi aër. Quas divas quatuor regiones, venti uxores adspectat sol, his te trado, ut senex fias, longe abeat morbus ad inferos. — Solutus est letali periculo Avartis, etiam exsolutus iniuria et Nirrtis vinculo cett". Quae sequuntur, fere nihil diversa a versione, quam modo A. V. II, 10 protulimus, nisi quod pro personis secundis tertiae in Âpast. recensione sunt legendae. „Id carmen dum recitat pater, natum lavato".

Totum hunc locum de daemonibus curiosius tractare in aliud invitus distuli tempus uti iam supra pag. 72 enuntiavi. Ceterum vides in nova, quam induerunt veste, satis posse intellegi poëtae verba, nimirum ex sententia eorum, qui scholas Âpastambi sequuntur et Baudhâyani. — Nam et Baudhâyanis ceremonia nostra communis. Ipsa verba Baudhâyanagrhyasûtri, quae eam praecipiunt, nobis servavit commentator Taitt. Brâhm. pag. 628 in fin. ed. Calcutt.: „*kshetriyai tvetyâdimantrânâm jâtakarmani viniyogam Baudhâyana âha athainam snâpayati kshetriyai tvâ nirrtyai tveti* [1]). Sutra non nominat quidem, ex loco laudato quodammodo pellucent. — Nonnulla bene quadrant; apte com-

[1]) Namque errore preli factum est, ut editum legamus: *nirrtyai veti.*

mendatur puer recens natus omnibus mundi potestatibus, *τοῖς οὖσι*, coelo terraeque, soli, lunae, vento, aliis neque inconcinne ex uteri tenebris in „vitai oras" prolatus comparatur cum sole nocte et tenebris exsoluto.

Sequitur stanapânum, his exponitur verbis.

7. *dadhi ghrtam* [1]) *iti kâmsye samsrjya „bhûh svâhâ bhuvah svâhâ suvah* [2]) *svâhom svâheti tenaiva kâmsyena sa* .... *rvarco yaço balam iti dakshinam stanam pâyayitvâ.*

Lacuna in his; non enim traditur, quem in finem pronuntientur quatuor *mahâvyâhrtayas* ideoque requiritur absolutivum post verba *tenaiva kâmsyena*. Tum vocabulum *sarvarco* nihil dicit. Inde facile colligas aliquid excidisse aut inter *kâmsyena* et ea quae sequuntur, aut lacunam inesse in monstro *sarvarco* [3]). Hoc factum esse comparatum Prayogaratnum mihi ostendere videtur; quin, si non ipsa verba, sententiam saltem, quae intercidit, restituere possim. Quid enim? Quae in Prayog. de stanapâno exstant, si composueris cum iis, quae tradit noster, mirificum in modum carminis finem congruentem videbis cum Âpast. *sarvarco yaço balam*. Est enim: *imâm kumâro dhayatu° âyur varco yaço balam.* (vid. supra, pag. 71). Iam verisimile idem vel paulo tantum diversum carmen usurpare Apastambines, atque fuisse in eo manuscr., unde descriptus est codex noster.

---

[1]) Idem siglum, quod ad 4. inter *madhu* et *ghrtam* interpositum me non intellegere affirmavi, h. l. inter *dadhi* scriptum est et *ghrtam*. Iam id egisse mihi videtur librarius, ut vocabula *madhu, ghrtam*; *dadhi, ghrtam* separatim enuntianda esse siglo moneret, non enim esse composita *madhughrtam, dadhighrtam.*

[2]) Cf. pag. 81 ann. 2a.

[3]) Scriptura Indorum singula vocabula intervallis non disiungit, nostrum e longa serie characterum vocabula digerere.

Porro mammarum lavationem fontes ceteri praemittunt stanapâno. Ea in codice nostro non exstat. Deesse autem absolutivum post vocem *kâm*s*yena* modo dixi. Obvia coniectura et ea, ni fallor, praeclara unam regulam praetervidisse eum cui Âpast. prayog. describendi munus esset impositum, ideoque neque mammarum lavationem, neque carminis partem maximam in codice inveniri. Monstrum *sarvarco* retexendum; prima litera *s* procul dubio initium facit verborum *stanau prakshâlya, stanam dakshi*nam *prakshâlya,* vel similium; reliqua *rvarco* = ultima litera vocis *âyur* + *varco.* — In hunc igitur modum verba latine reddo: „dum pronuntiat vocabula *dadhi* (lac acidum), *ghrta* (butyr. liquef.), in vase aëneo eas res commisceto, eo vase [........ mammam dextram lavato], haec dicens: „*bhû*h *svâhâ, bhuva*h *svâhâ, suva*h *svâhâ,* om *svâhâ*", tum [eo mantro, quem vid. pag. 71], dextram mammam puero sugendam tradito." Vas aëneum hic novum. Notandum, alio liquore e praecepto Prayogaratni lavari mammam, alio secundum Âpast. pray.

8. *yat* [*tava*] *bhûme hrdaya*m, *divi candramasi çritam*
tad u vipaçyam [*aha*m] *mâ 'ha*m *pautram agha*m *rudam* (a) 1.

(a) E Pâr. 5 (vid. supra pag. 67) partim, partim Pâr. I, 5 et Âçv. I, 13, 7 versum restituere conatus sum, inserendo ea, quae uncinis inclusi; pro codicis *akham* scripsi *agham*; fortasse ultima verba quatuor ex conclusione alterius versus per neglegentiam hic sunt repetita.

*yat te suçeve hrdaya*m *vedâ 'ha*m *tatat prajâpatau*
*vedâma tasya te vaya*m *mâ 'ha*m *pautram agha*m *rudam* (a) 2.

(a) Verba corrupta, ut exhibet codex, ita exscripsi. Conferre licet Âçv. I, 13, 7: *yat te susîme hrdayam hitam anta*h *prajâpatau manye 'ha*m *mâm tad vidvâmsam mâ 'ham pautram agha*m *niyâm*; quae ibi recitantur in ceremonia anavalobhani. Inde vel in priore regula pro *vedâ 'ha*m *tatat* reponenda censeo *hitam anta*h"; in altera vero vocabula *vedâma tasya te*

vayam recte se habere videntur. Saepenumero enim cum gen. construitur verbum *vid*, *veda*; ex Lex. Petr. cito *Rgv.* VIII, 29, 6: *esha veda nidhînâm*, II, 35, 2 *mantrasya vedat.*

yatra bhûmau kumârah çayishyate tâm sakrd abhimrçya tatra mâtrdvârâ samveçayate. I. e. „locum, ubi puer iacebit (dormiet), semel admulcet, his verbis: „„perspiciam ego cor tuum, o terra, in coelo in luna quod consistit [cf. supra, pag. 67], filiale malum ego ne defleam; quod cor tuum in Prajâpati est situm, o beata, id tuum in mente habeamus, filiale malum ego ne defleam"", [deinde] opera matris ibi eum reponit ut dormiat".

9. *samvishtam*

nâ 'mayati na rudati yatra vayam vadâmasi yatra câ 'bhimrçâmasi iti.

Desideratur in his praedicatum *abhimantrayate*, vel simile quid, post *samvishtam.* Latine haec sonant: „Recubantem [affatur in his]: „Non dolet, non flet, ubi nos loquimur ubique mulcemus". — Apud Pârask. I, 18 pars incantationis, qua daemones infantem omnimodis vexantes, lamiae et alia hoc genus monstra repellantur, idem exhibetur versus uno auctus *pada* post *rudati* enim in cdd. legimus: *na hrshyati na glâyati* „non horrescit[1]), non languescit". Totum hunc Pâr. locum vertit Stenzler Zeitschr. d.d. morg. Gesellsch. VII, pag. 532, unde comperi communem esse codicibus meis cum codice Berolinensi errorem, quo tollitur metrum, habent enim *na nâmayati*, quod Stenzl. speciosius quam rectius german. reddit: „er krümmt sich nicht". Verum enimvero nulla prorsus ex iis h. l. elici potest senten-

[1]) *Hrshyati* etiam exsultandi significationem habet, quia pili horridi apud Indos non solum horroris, sed etiam gaudii magni signum putantur.

tia, si quidem iudicium quam voluntatem in tali negotio sequi praestat. Vera lectio ex Âpast. Pray. restituenda expungendo negationem *na*, quae iam inest in *ná 'mayati*, quippe quod dividatur in *na* et *ámayati* „aegrotat, aegre est ei".

10. *ápa*h *supteshu jágrata rakshá*ṁ*si nir ato nudadhvaṁ iti kumârasya çira*h *samîpam udapûr*nam *nidhâya*, i. e. „prope caput pueri vas statuit aqua repletum, his verbis: „aquae dormientibus vigilate, maleficos daemones (*rakshá*ṁ*si*) hinc expellite.

Quae Âpastamb. Pray. sub 8, 9, 10 tradit in universum conspirant cum iis, quae Pârask. post peractum stanapânum ut fiant edixit. Consentaneum magis rei naturae apud illum inter *bhûmyâmantra*n*am* (id, quod terram alloquitur pater) et *sa*ṁ*veçanam* (id, quod in dormiendi loco recens natum reponit) non esse intervallum, cum ab hoc etiam ante *stanapânam* ponatur *bhûmyâmantra*n*am*. Etenim, perinde atque matrem, antequam nato mammas admoveat, carmine alloquitur pater (vid. supra, pag. 68 sq.), sic terram invocat, antequam cubantem recipiat.

Haec hactenus. Porro progredi non licet. Sequuntur enim daemonum incantationes, quae et in Pâr. g*r*hyo jâtakarma proprium excipientes ultra huisce libelli rationem esse supra declaravimus. Matris lacte saturatus puer somno traditus a daemonibus tutus finit jâtakarma.

Superest Baudhâyanaprayogus. In quo iam notavimus non suo loco esse expositum jâtakarma; hoc enim agi, ut describantur piacula, quibus teneantur ii, qui suo tempore sacramenta peragere supersederint. Etenim upanayani tem-

pore cuncta ex ordine sunt instauranda, quae puerilis aetas, quae status fetus habet sacramenta, sive omnia praetermissa sint, sive nonnulla ex iis. Adiunguntur piacula, libationibus constantia. Atque *nândîçrâddham*, *punyâhavacanam*, alia communia sacramentorum exordia postquam perpetravit pater (vid. Baudh. pr. pag. 33a ad 36b) ipsa sacramenta ex ordine repetere aggreditur. Initium fit a garbhâdhâno cuius re divina omissa carmina tantum recitat. Similiter ceteris defungitur, donec perveniat ad jâtakarma. Huius sacramenti eorumque quae consequuntur, ubi per aetatem pueri iam longe ab infantia provecti licet et ceremonias perpetrat, ubi aetas non sinit aut omittens aut conformans. In plerisque noster conspirat cum Âpastambo (vid. quae diximus supra pag. 31); ordo prorsus diversus. Namque anteit pueri lavatio cum suo carmine *kshetriyai tvâ°*. Cuius ceremoniae documentum attulimus modo, quod scholiasta, pag. 83 laudatus e Baudhâyanagrhyasutro nobis servavit. Verum auctum est uno versu additicio

Brhaspate yuvam Indraçça vasvo divyasyeçâthe uta pârthivasya
dhattam rayim stuvate kîraye cid yûyam pâta svastibhih sadâ nah.

i. e. „Vos, Brhasp. et Indra rerum coelestium domini estis et terrestrium, date bona vos celebranti vati [ut explicat scholiasta: „sacrificatori"], vos in rebus prosperis semper tuemini nos". Additicium dico, etsi in TBr. continuo excipit quinque eos, quorum primus est *kshetriyai°*, a quibus luce clarius plane abhorret eius argumentum, aliunde desumpti. Cum enim illis constet Ath. Ved. II, 10, hunc servat *R*gv. VII, 97, 10. Seponit eos etiam scholiasta ad TBr. pag. 626 ed. Calcutt., Âpastambo edicente, ut in sacrificio cui nomen est *Brhaspatisava* (de quo vid. Lex. Pet. s.v.) solus

sextus ex iis adhibeatur versus. Mirum plurale *yûyam pâta°*, ubi duale exspectares, ita interpretatur Mâdhavus, ut cum ministris suis et famulis (*saparivârâ*) invocentur duo dii. Verum enimvero ad alios haud dubie pertinet deos, quos nominatim non alloquitur poëta. — Neque una Baudhâyanis sufficit lavatio; quot versus tot lavationes. Haec enim addit prayogus:

1. *iti shadbhih pratyrcam snâpayet*: i. e. „his sex versibus, dum singulos recitet, lavandum [eum] curato".

2. *angâd°* [= Âp. 3] *iti svotsange grhîtva, açmâ bhava°* [= Âçv. 3, a] *paçûnâm tvâ hunkârena brahmanâ 'bhijighrâmy asâv iti mûrdhny abhijighret*, i. e. „In gremio eum tollito. pronuntians versum *angâd°* (vid. supra, pag. 73), tum iis versibus, quorum priorem vid. pag. 58 alterum pag. 73 caput eius osculator". Alter versus prorsus idem, atque quem supra in Âp. pray. 4 exstantem vidimus; *hunkârena* non minus recte dicitur, quam quod illic exaratum est *hinkârena*. Vox *brahmanâ* (prece) deest apud Âp. De tota ceremonia ad Âp. l.l. lectorem revoco, ubi simul videbit pro *asau* nakshatranâma pueri reponi, quod et disertis verbis Baudh. Pray. enuntiat. Sed his omissis sequitur in aurem insusurratio, quam non habet Âp.

3. *athâ 'sya dakshine karne japati: Agnir âyushmân°* [= Pâr. 2, pag. 61, nulla lectionum varietate] *athottarakarne japati*

âyushte viçvato 'dadhad ayam Agnir varenyah
punas te prâna âyati parâ yakshmam suvâmi te 1.
âyur dâ Agne havisho jushâno ghrtapratîko ghrtayonir edhi
ghrtam pîtvâ madhu câru gavyam piteva putram abhirakshatâd imam. 2.

iti, i. e. „tum in dextram eius aurem insusurrat: „Agnis

longaevus", cet. deinde in sinistram duos versus". Quorum priorem: „longam vitam tibi prorsus tribuat Agnis hic eximius, retro tibi redeat spiritus, morbum a te fugo" in jâtakarmane inesse non oportebat; manifestum enim, si quid video, aegrotum eo incantari, minime vitam et animum dari nato. A Taitt. Ved. I, 3, 14 ubi ambo leguntur, undeque igitur desumpti esse videntur nostri, Schol. Mâdhavus hunc interpretatur ut sit: *apamṛtyunâ gṛhîto 'pi te prâṇa .... âyati.* „quamvis subita morte correpto spiritus (anima) tibi redeat". Vocem *parâsuva* verti „fugando". Est enim *suvâmi* idem atque σεύω, itaque *parâsuvâmi* (Schol. *vinâçayâmi*) = ἀποσεύω, et *âsuvâmi* respondet τῷ ἐπισεύω, verum non tantum in malam, etiam in bonam usurpatur partem. Quae luculenter confirmantur versu gâyatri metro composito TBr. II. 4, 6: *viçvâni deva Savitar duritâni parâsuva yad bhadram tan ma âsuva,* „omne quod perniciosum est mihi, propelle, o deus Savitar, faustum mihi studiose affer". — De versu altero plura disseremus infra. Hic sufficiat magis ad nostrum sacramentum pertinere mihi videri hunc, quam illum.

4. [*japitvâ*] *'tha dadhimadhughṛtam samudâyutya tatra hiranyam kiñcid nighṛshya hiranyenaiva tad gṛhîtvâ kumâram prâçayati „prâno rakshati viçvam ejad" ity anuvâkena daçarcena pratyṛcam,* i. e. „tum lac acidum, mel, butyrum liquefactum postquam permiscuerit, in iis auri aliquid abraserit [pulvisculos igitur] ipso [reliquo] auro cibum ad puerum admotum edere eum cogito, *anuvâkam* (stichorum seriem) pronuntians versuum decem, quorum primus incipit: „„spiritus omne animans tuetur"", ita ut cum singulis versibus edat puer."

Prâçanum iam satis explicatum fontibus reliquis. Sed

haec prâçani ceremonia, in ceteris Âçvalâyani ritui propior, duo sibi habet propria, tum quod lac acidum coniungit cum melle et butyro, cum alii omnes de lacte taceant, unus Âpast. melle admixto mammas eo lavari velit (vid. supra, pag. 83 sq.). Neque aurum omittit, verum, uti Âçvalâyanis mos est, ita reliquis cibis immiscet. Tum non solum plus cibi admovetur infanti, sed etiam pluries. Suspicatus eram, praçanum decies repetitum magis convenice puero iam adulto, qualis sit eo tempore, quo fiat piaculum quod describit Baudh. pr.; verumtamen iam in infante fieri decies declarat locus, ex ipso Baudhâyani gṛhyasûtro forte fortuna nobis servatus: *athainam dadhi madhu ghṛtam iti* [cf. Âp. pr. 4 et 7, et ann. 2a ad pag. 83] *samudâhṛtya hiraṇyena prâçayati prâṇo rakshati viçvam ejad ity anuvâkena daçarcena pratyṛcam.* Qui locus simul certiores nos facit de ratione, qua prayogos qui scribebant gṛhyasutra in usum suum convertisse videntur, desumentes inde quae per se intellegi putarent, ubi parum dilucide res esset exposita, de suo nonnulla interspargentes.

Exhibet autem eum gṛhyasutri locum commentarius ad TBr. II, 5, 1 in fine; illum enim anuvâkum dicit Baudh. illic exstant decem ii versus, quorum initia prayogus in versum consuta superioribus postponit. Vocabula *daçarcena pratyṛcam* enim excipiunt haec: *tatra ṛcaḥ*

„*prâṇo*" „*yo*" „*manasaç*" „*câṇno*" „*jushatâm me*" „*yayâ*" *tathâ*
„*cakshur*" „*âyuçca*" „*çrotrena*" „*yena prâcyâ*" *kramâd daça iti*

Exscribere eos nolui, quippe qui ne hilum quidem ad infantem attineant. Binis singulae divinitates advocantur ad sacrificium, Prâṇa (spititus), Manas (animus), Vâc (vox), Cakshus (visus), Çrotra (auditus), ii igitur, quos communi nomine *indriyâṇi* (sensus) Indi appellare solent. Curiosos

ad TBr. l.l. revoco, hoc mihi sumo, ut nonnulla indicem, quae Ed. Calcutt. TBrâhma*n*i vitiosis lectionibus, scribarum monstris, necnon preli erroribus scatens, prave edidit: 1⁰ Versus secundus *ye devo*⁰ metro laborat; in secundo pada pro *ávrdát*, quod in contextu, *ávrdúdát* quod est apud scholiastam, monente viro cl. Kerno, lege *á budbudát*; — 2⁰ Corruptus et versus tertius. Weber in editione sua metrum quidem restituit, exhibens: *manasaç cittam ákútim*, sed sententia eadem, quae fuit antea, i. e. nulla. Fortasse ex indiciis, quae praebent cum ed. Calcutt., in qua est *cittedam*, tum commentator interpretans per *cittenedam*, efficere licet, genuina poëtae verba fuisse: *manasaç cittam ákútir bhútam*⁰, i. e. „animi cognitio, prospicientia, praeteritum futurum etc." — 3⁰ in versu quarto muta *yajñapatim*; — 4⁰ Metrum ruit in versu 5, a et 6, a; — 5⁰ In ultimo versu pro *dakshiná* necessario reponendum unum ex his, *dakshináyá*h vel *dakshinasyá*h vel *dakshinena*. — Ni fallor, verba, quibus totum concluditur carmen *arán na nemi*h⁰ habent indicium serioris aetatis, e *R*gv. I, 32, 15 aliove simili loco, ubi metro accomodata leguntur, desumpta; apud nostrum enim, cum pro *tá* sententia postulante scriptum sit *sarvam*, neglectum est metrum.

6. *tadatiçishta*m *gopade ninayati bhúr bhuva*h *suvar iti*, i. e. „reliquias cibi in parvam humi cavitatem? = *goshpade* deiicit, pronuntians [solennes exclamationes] „*bhúr, bhuva*h, *suva*h". Unus huius rei auctor est Baudh., ceteri de ea silent.

7. *athaina*m *mátur utsange ádadháti*

*sída tva*m *mátur asyá upasthe viçvány Agne vayunáni vidván*

mainám arcishá [*má*] (a) *tapasá 'bhiçúçuco antar asyá*m *çukra*-

[*jyotir vibháhi*. 1.

antar Agne rucá tvam ukháyai sadane sve
tasyás tvam harasâ tapan jâtavedah çivo bhava. 2.
çivo bhûtvá mahyam Agne atho sîda çivas tvam
çivâh krtvá diçah sarváh svám yonim ihásadah. 3.
hamsah çucishad vasur antarikshasad
dhotá vedishad atithir duronasat
nrshad varasad rtasad vyomasad
abjá gojá rtajá adrijá rtam [brhat].

(a) Vocabula, quae uncis inclusi, expungenda censeo.

i. e. „tum in matris eum collocat gremio, quatuor dum pronuntiat versus subiectos". Ut plerique, quibus iam occurrimus, ita hi, procul dubio e Taitt. Ved. II, 1, 4 desumpti cum maxime alieni a sacramento nostro. Taedium pararem lectori, si repeterem ea, quae semel et bis de huiusmodi carminibus disputavi. Iam continuo videbis, opinor, Agnim deum et eum quidem terrestrem gravibus simplicibusque invocari versibus: „Conside tu in gremio huius matris, o Agni, omnium artium peritus, ne fulgore eam ne ardore aduras, in ea candenti [tua] luce resplende" (1). „In foco, Agni, luceas, in sede tua, eius fervore calens placidus fias, o tu, qui [omnium] rerum cognitionem habes[1])." (2). „Ubi placidus mihi eris factus, [hic] sedem pete placidus tu; omnes regiones ubi placaveris ad originem tuam hic considas". (3). Hi tres per se leguntur in V. S. XII, 15—17. Taitt. V. IV, 1, 9, 3. Matris nomine appellatur focus, quia ei superstratus ignis speciem refert pueri in gremio matris positi, quod profecto et ansam dedit iis, qui ad stanapânum

[1]) Solitum epitheton Agnis est *jâtavedas*, i. e. qui novit animantes vel potius omnes res. Apte conferatur Homericus ille *'Ηέλιος, ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει.*

versus traxerunt. Quartus, quamquam in Taitt. Ved. II, 1, 4 tribus superioribus coniungitur, prorsus alio spectat [1]).

Quo ita deus Agnis invocatur, ut latissime pateat et potentia dei et significatio; quidquid enim in coelo aëre terra lucis vitaeve particeps, in eo manifestare sese illum putant. Atque vide, quam poëtice appellatur: „Phoenicopterus (i. e. sol) es [*hamsa* saepius solem designat, ob candentem pulcritudinem eius avis, vid. v. c. Çat. Br. VII, 3, 11 *hamsa vai âdityo*, vel ob sempiternum cursum *hanti sarvadâ gacchatîti hamsa âdityah* (Schol. ad Taitt. Âr. l.l. pag. 806)] sedens in luminoso [*çucau* Schol. Taitt. Âr. est *jyotirmaye mandale*] genius (?) in aëre [Schol. *vasu* interpretatur ut sit *vâyu* „ventus", sive „anima", quum *vasu* et *asu* tamquam synonyma habeantur] sacerdos in ara, conviva domi [etenim, ut schol. illustrat, ad sacrificia peregrini vicem ubique devertit], in hominibus versans [sc. vita, *manushyeshu karmâdhikârijîvarûpena sîdatîti* Schol.] in rebus optimis [Schol. tantum de locis sacris hic agi autumat [2])], in rerum ordine (*κόσμῳ*) Schol. „ritum" intellegit] in aethere [„siderum forma induta" Schol.] versans, aquis, lacte natus [sc. *ghrta* [3])], rerum ordine [vel: ritu] natus, lapide natus, ordo ipse." Vocem *brhat* „ingens", metro repugnans, non exhibet *Rgv.* IV, 40, 5.

---

[1]) In *Rgv.* est IV, 40, 5; saepius occurrit in Taitt. Vedi libris liturgicis, ex quibus Taitt. Âr. X, 10 adiecto commentario in Ed. Calc. haud sine fructu sum usus.

[2]) Schol. ad Taitt. Âr. l.l. habet: vare *çreshthe KâçîDvârâvatyâdau pûjanîyadevarûpena sîdatîti varasat.*

[3]) De ratione quae intercedit inter *ghrta* et lucem plura in capite tertio.

Quam antiquitus perperam intellecti mantri, vel de industria subversi ad diversissimas adaptarentur ceremonias, et hic versus est documento. Inest enim in mantris, qui in solenni *abhisheka* ceremonia, i. e. in regis unctione, inauguratione, adhibentur, quos invenies in Taitt. Ved. I, 14. Risum autem movet commentator ipsum illum Proteum vincens; illi enim suam tantum ipsius formam mutandi potestas fuisse fertur, hic vero quaecunque in carmine ei occurrunt, tamdiu immutat, donec fatigata sententiae, cui accommodandae erant, succumbant.

Quae sequuntur apud Baudhâyanum ita prope accedunt ad ea, quae Pârask. et Âpast. de sugente puero, de vase aquae aliis scribere supra videmus, ut paucis expedire ea liceat. In piaculo sacramenti, ut par est, earum ceremoniarum carmina tantum recitantur, res omittuntur. Stanapâni versus iidem sunt atque quos profert Pâr. et Samsk. Paddh. (vid. supra pag. 69 sq.), sed inverso ordine; in urna deponenda idem versus exhibetur, qui est in Âp. pray. (vid. pag. 86) hac varietate, quod pro *jâgrata* Baudh. habet *jâgrta*. Unus novus est, quo sugentem alloquitur puerum. Haec enim noster:

stanam dhayantam abhimantrayate

Dyaushte prshtham rakshatu Vâyur ûrû (a)

stanam dhayantam Savitâ 'bhirakshatu

â vâsasah paridhânât Brhaspatir viçve devâ abhirakshantu paçcât.

(a) Sequitur in cod. *Açvinau ca*; sed ea verba alterius redactionis pars mihi esse videtur ita ut totus versus esset *Dyaushte pr. r. Açvinau ca.*

i. e. „Coelum dorsum tibi tueatur, Vâyus femora, sugentem Savitar [te] protegat, usque ad vestis amictum Brhaspatis, omnesque dii te tueantur postea. Qui quidem

versus, quantum ego scio, non inest in sanhitis [1]), verum in Âpast. pray. (pag. 11b in fine) mirabile dictu in medium incidit nuptiarum sacramentum. Iniuria. Namque hoc saltem carmen profecto jâtakarma spectat. Distinguuntur enim aetates tres; infans protegendus Savitari, Bṛhaspati traditur puer iam matris lacte maior usque ad upanayanum, inde ab upanayano, ut eum omnes dii servent, carmine petitur. Upanayanum dico, quippe cuius sacramenti pars est amicere vestum [2]). In prima regula vitium inesse suspicor, licet enim ignorarem, quid sibi vellet dorsum potissimum dei curae mandatum, aetatem pueri non corporis membrum ut tueatur Dyaus, flagitari consentaneum est.

Haec Baudhâyanîyaprayogus. Gobhili et Çânkhâyani uberam segetem attingere non licuit. Perpauca ea afferam, quae a Webero inde prolata hic illic carpsi. Atque de Gobhilo nil addere possumus iis quae supra (pag. 67) ex Stud. Ind. V. pag. 362 laudavimus. Narratur ibi, in huius gṛhyasutro matrem tradere infantem patri, muttienti versum, cuius prima verba: *yat te susîme,* summoque iure inde efficere licet, sicuti apud Âçvalâyanos, ita etiam apud Gobhilum in matris gremio iacere puerum, cum primum gustet cibum. Prâçanum enim praeter Nigri Yajusis scholas, primo loco ut fiat praecipiunt ceteri. Çânkh. Gṛh. I, 24

---

[1]) Eadem sane, nempe *dyaushte prshtham* incipiunt carmen, quod exstat in Taitt. Ved. IV, 1, 2, 3, at cetera diversissima. Neque *prshtham* (dorsum) ibi commendatur Coelo, verum casu nom. positum ipsius praedicatum est Coeli; additur enim *prthivî sadastham âtmâ 'ntariksham samudras te yonih* sqq. Non tamen affirmaverim, fieri non posse, ut tam aliena verba ansam dederint versui ei, quem exhibent prayogi.

[2]) Inde iam intellego, quid versui nostro cum nuptiis. Namque et a novo marito vestem, quam amiciat, accipit uxor.

laudat Weber (Abh. der Berl. Akad. 1861, p. 315), praecipientem ut puero immittatur primus cibus („die erste Nahrung") constans granis molitis oryzae vel hordei, butyro [sine dubio: liquefacto] permixta et melle, vel lacte acido et aqua. Non recte video (non enim ipse Çânkh. praesto est mihi) num potius ad annaprâçanum [1]) ea pertineant quam ad jâtakarma. Hoc verisimilius, nam et in Lex. Pet. s. v. *jâtakarma* idem caput I, 24 citatur et a Stenzlero versum *pra te dadâmi⁰* (vid. pag. 54) ibidem exstare affirmatur. Quod si ita sese habet, magnopere dissentit ille ab aliis, quae perlustravimus gṛhyasutris.

In Prayogar. pag. 44, a et Baudh. pr. pag. 91 (ubi puellarum exponitur jâtak.) nonnulla adduntur, quae sacramenti finem faciunt. Per illum licet patri sacrificium (*homa*) [2]) adiicere. Cuius ultima libatio (*svishṭakṛt*) nullo intervallo praecedit mammarum lavationem. Quae autem brahmanis rituum peritis, dum sacramentum fit praesentibus dono dare liceat, idem enumerat: *brâhmaṇebhyo gobhûtilahiraṇyâdikam annavarjitaṃ yathâçakti datvâ brâhmaṇair âçisho vâcayet,* i. e. „postquam pro facultate boves, terram, sesama, aurum, alia modo ne frumentum, brahmanis dederit, ab iis [pro salute infantis] bona verba petit. Si genitura mala est: *janmalagne dushṭasthânasthitagrahajanitapîḍânivṛttaye tatprîtyarthaṃ viçeshato dakshiṇâ deyâ,* „damni avertendi causa orti per planetas infestis locis positos partus tempore praecipue donum dandum." Bona, quae diximus, verba constant *Ṛ*gv. IV, 15, 6—10:

---

[1]) i. e. id sacramentum quod fit eo die quo a lacte matris ad alium cibum transit infans.

[2]) Pray. l.l. *homâ'tra kṛtâ'kṛtaḥ.* De *homa* et *yajña* vid. Max Müller Zeitschr. d.d. morg. Ges. IX, pag. LXI.

*tam arvantam iti pañcabhir âçisha*h. — Brevius Baudh. l.l. jâtakarma concludit his: *asya jâtakarmana*h *sumuhûrtam astv iti bhavanto bruvantv iti vâcayet. jâtakarma sumuhûrtam astv itîtare brûyu*h i. e. „[brahmanes] ad bona verba invitat his: „pronuntiare velitis „ „tempus huius jâtakarmanis sit faustum"", tum illi dicant: „fausto tempore [factum] sit jâtakarma".

Audivimus testes. Longum iter, difficile interdum, semper sinuosum per quatuor scholas permensi haud abs re nobis agere videmur circumspectantes paucisque conantes eam comprehendere atque distinere materiam, quam abundantem in via congessimus. Reputantibus igitur, quid simus consecuti, haec apparebunt, 1⁰ Esse sacramentum apud Indos, quod peragere solent in recens natis liberis, nomenque ei esse jâtakarma [1]; 2⁰. Constare illud duabus praesertim ceremoniis, prâçano, quo butyrum liquefactum, mel, auri sive pulvisculos sive alio pacto reliquis adiunctum aurum, permixta gustet infans, stanapâno, quo matris lacte primo alatur; 3⁰ multas esse ceremonias alias minoris momenti, cum scholarum discrepantia; 4⁰ e quatuor, quarum ritus exponere conati sumus, ternis communes esse haec: *karne japa*, versum in aurem infantis insusurratum (Âçv.; Pâr.; Baudh.), *kumârâbhimarçana* quo infantem admulceat pater (Âçv.; Par.; Âp.), *udapâtranidhâna* urnam, aquae plenam dormienti infanti appositam (Pâr.; Âp.; Baudh.), 5⁰ duabus Taitt. Vedi scholis, Baudh. et Âp. propria esse *anke âdhâna*, quo puerum in brachia tollat pater, *âghrâ*na osculationem, *snâpana* lavationem pueri cum carmine *kshetriyai tvâ*⁰, eaque

---

[1]) Synonymis nominis „*jâtakarma*", quae supra pag. 47 sq. protuli h. l. addo *jâtaka* (vid. Lex Pet. s. v. cum l.l. imprimis Bhâg. Pur. *kumârasya* ...... *vâcayitvâ 'çishoviprai*h *kârayâm âsa jâtakam* (VI, 14, 33).

omnia fieri ante prâçanum, i. e. ante ceterarum commune initium; 6⁰ apud unum Pâr. nobis occurrisse *ânuprâṇana* qua ceremonia solenni animus recens nato indatur.

Restat, ut ex testimoniis efficiamus quae cuiusque rei, quam enarravimus, sit significatio, quid sibi velit totum sacramentum, unde nata sint symbola, quae ibi usurpentur. Specimen talis inquisitionis exhibebit insequens caput tertium. De mantris non opus est quicquam addere. Namque satis exemplis probasse nobis videmur id quod in praefatione statuimus adiecta vel potius agglutinata esse carmina ceremoniis pleraque, nequaquam una cum iis esse nata, quin haud raro post tot annorum intervallum esse assuta, ut vis verbis illata ne nos quidem lateat.

CAPUT III.

Quem autem in finem ipsi Indi hoc sacramentum fieri arbitrentur, certiores nos facit *samkalpa,* i. e. „optatum" jâtakarmanis. Amant enim prayogi ceremoniarum explicationibus praemittere sa*m*kalpos.

Nostri autem sacramenti hunc tradit Pray. Ratn. pag. 43, a, extr.: *mamâ 'sya kumârasya garbhâmbupânajanitasakaladoshanibarhanâyurmedhâbhivṛddhibîjagarbhasamudbhavainonibarhanadvârâ çrîparameçvaraprîtyartham jâtakarma karishye*: „ut Summo Domino gaudium fiat huiusce mei pueri ut increscant vita et mens remota impuritate, orta ex semine foetuque, omni sublato vitio, quodcumque foetus [ventris] liquorem bibendo contraxerit [cf. Manu II, 27], jâtakarma faciam." Paucis mutatis consimilem sa*m*kalpum ad puellae cuncta, quae ante nuptias fieri solent sacramenta, exhibet Baudh. Pray. pag. 89. Itaque summo iure statuere licet, ea mente jâtakarma sibi peragere videri Indos, ut quam longissime producatur vita nati.

Ea autem opinio utrum sit vana, an ceremoniarum quibus constet sacramentum natura munita, reliquum est, ut diiudicemus. Quarum duae quidem eam quam maxime confirmant, significatione tam praeclara atque manifesta, ut quid sibi velint statim agnoscas, dico insusurrationem in aurem (*karne japa*) et anuprâ*n*anum. De quibus cum in capite secundo agebamus, iam monebamus longaevitatis carmen illam habere, hoc animam immitti recens nato. Addo, in Çat. Br. 11, 8, 3, 6 quaedam inesse, quae anuprâ*n*anum illustrent. Etenim eo loco, quem mecum communicavit vir cl. Kern, in sacrificio quodam hostiam immolatam sacerdos his alloqui narratur: *çetâ*m *nu muhûrtam*, i. e. „iacetodum paulisper". Interim *ta*m [sc. *ni*h*prâ*n*atvenocchûnam âdityalakshan*am *paçum* Schol.] *prâcî dik prâ*n*ety anuprâ*n*at prâ*n*am evâ 'smims tad adadhât ta*m *dakshi*n*â dig vyânety anuprâ*n*ad vyânam evâ 'smims tad adadhât ta*m *pratîcî dig apânety anuprâ*n*ad apânam eva 'smims tad adadhât tam udîcî dig udânety anuprâ*n*ad udânam evâ 'smims tad adadhât tam urdhvâ dik samânety anuprâ*n*at samânam evâ 'smims tad adadhât.* Ipsae regiones exanimi victimae animam dare dicuntur, pronuntiantes *prâ*n*a*, cett.; eo pacto huic (sc. regi) singula animae genera adduntur. Duo hac in re notanda, unum quod pro regione Nir*r*tis (libonoti) est *urdhvâ dik* „zenith", tum vocabulum *anuprâ*n*ana* in singulis deinceps repetitur animae generibus indendis. Ac vide quae continuo succedant: *tasmâd u putra*m *jâtam akr*t*tanâbhi*m *pañca brâhma*n*ân brûyâd ity enam anuprâ*n*iteti. yady u tân na vinded api svayam evâ 'nuparikrâmam anuprâ*n*yât. sa sarvam âyur ety â haiva jarâyai jîvati*, i. e. „hanc ob causam nato ante funiculum abscissum ut animum indant, quinque brâhmanibus imperato (sc. pater).

Quodsi nequaquam eos invenerit, ipse ex ordine circumiens animam indito. Is ad omne aevum it, usque ad senectutem vivit". Ea, quamvis a sacrificio, de quo agitur, aliena neque interpolationis speciem ferunt sermonisque antiquus est color. Cum porro in solo Pâr. Gṛhyo anuprâṇanum inesse supra constiterit, qui morum commentarius Albi Yajusis scriptis liturgicis est annumerandus, in quibus praecipuum obtinere locum Çatapathabrâhmaṇam scimus, iam persuasum est mihi, ne dicam manifestum est, inde esse deprompta ea, quae in gṛhyo illo super ea ceremonia memorentur, pag. 63 sq. a nobis allata et illustrata. Quodsi res ita sese habet, simul indicium nacti sumus rationis, qua sunt composita gṛhyasûtra; vix enim crediderís, illud tantum ex huiusmodi fonte esse derivatum. Hoc obiter. Anuprâṇani genus quoddam invenias in altera quoque Yajurvedi Sanhita nempe Taitt. II, 6, quo cum loco cf. VI, 1, 9 sq. Est solennis ceremonia, cui nomen est *somonmâna*; eius sunt carmina sex, exstant l. l. Quorum quod est ultimum sic se habet: *prajâs tvam anuprâṇihi, prajâs tvâm anuprâṇantu*, i. e. „animam tu [sc. rex] da populo tuo, populus tuus tibi animam duit". Cf. quae praecedunt: *prajâbhyas tvâ, prâṇâya tvâ, vyânâya tvâ* et copiosum commentarium in ed. Calcutt. I, pag. 347 sqq.

Haec de anuprâṇano, de cuius ceremoniae remota antiquitate post ea, quae hucusque disputavimus, dubitari non potest. Atque illud praeter Indos quantum scio nulli mortales novere, exempla saltem consimilis apud alias gentes ritus mihi non sunt nota; principis vero ceremoniae, cibi, recens nato infusi vestigia multa sunt in regionibus hominibusque diversis. Qua de re ita disseram, ut singulas dein-

ceps gentes, quibus aut ritus est aut mythus huc pertinens, perlustrem, denique si non solvere tamen ponere coner quaestionem, qua tandem re sit factum, ut communi symbolo in re, si quae alia, domestica uterentur variae gentes, quaeque eius symboli apud Indos certe sit origo.

Ordinem ducant nostri homines. Apud Germanos lactis mellisve gustationem in novo nato primus ostendit disciplinarum Germanicarum princeps atque pater, Grimm. Hac enim lege liberos exponere licebat, si nihil ante cibi gustavissent. Cuius rei unum tantum attulit documentum, verum grave et evidens. In vita S. Ludigeri I, 2 (Bower, pag. 37) traditur eius sancti matrem, nomine Liafburgam, simulatque nata esset, iussu aviae paganae dolentisque filio suo tantum puellas nasci, aquis esse immersam; reluctanti vero puellulae et brachiolis marginem situlae, cui immergeretur, tenenti, supervenisse vicinam mulierem, quae „miscerescens parvulam de manu mergentis eripuit et domum aufugiens *parum fecit gustare mellis; nam semel gustantes aliquid infantes apud paganos necare illicitum erat*". Quo facto non ausos esse mandata exsequi eos, quibus infans trucidanda esset tradita, quippe videntes „*se ab facto impio prohibitos esse*". In actis c. 6 et 7 (Leibniz I, 86, 87) eadem res etiam copiosius narratur; unde operae pretium est haec subiicere: „.......... qui raperent filiam ..... et necarent, *prius quam lac sugeret, quia sic mos erat paganorum, ut si filium aut filiam necare voluissent, absque cibo terreno necarentur,*" cf. ibid. „[puella] *quae necdum suxerat matris ubera*". Et paulo infra: „mulier autem, quae infantem rapuit, accurrens lictoribus dixit, mel comedisse puellam et simul ostendit eam adhuc labia sua lingentem *et propter*

hoc illicitum erat iuxta morem gentilium necare illam". Haec omnia excerpsi e Grimm Rechtsalt. I, pag. 457 sqq., qui integros duos locos protulit. Recte idem ex iis hoc tantum effecit, infans cibi vel minimam partem postquam cepisset, exponere eum vel necare parentibus illicitum fuisse, mellis enim lactisve guttam vitam protegere. „Der Aussetzling durfte auch noch gar Nichts genossen haben. Ein Tropfen *Milch* oder *Honig* sicherte ihm das Leben". Moris fuisse, melle lacteve os nati oblinere, minime patet. Contra ita rem enarravit actorum scriptor, ut ante matris lac nihil recens nato cibi admoveri solitum esse Germanis videatur; demonstrare enim studens, „absque cibo terreno" interficiendam fuisse puellulam, vel bis monet matris ubera eam nondum suxisse. Quod negligentiusne sit dictum, an rectius, mihi non est compertum. Quod autem e toto tenore narrationis non apparet, in melle potissimum aliquid inesse putari, quod vitam nati tueatur, id non magni facio. Non ornamenti profecto causa talia mythis affingi solent, verum suam quaeque habent significationem. In terra Frisionum locum habere fabulam, auctor est Grimm l. l.

Quamquam equidem magis tribuo fidem, quam denego monachis perhibentibus nefas fuisse paganis interficere natos, qui aliquid cibi gustassent, tamen vereor, ut prudenter faciamus, ex hac una sancti fabula generalem Germanorum opinionem deducere, nisi satis constet de illa. Potest enim, etsi haud verisimile id puto, potest in sancti vita vetustissimae ecclesiae Christianae ritus ad paganos esse translatus. De quo ritu Grimm in ann. ad l. l. haec: „Milch und Honig galt für die erste Speise und für eine heilige, in der ältesten christlichen Kirche wurden sie un-

mittelbar nach der Taufe angewendet". Quod luce clarius patet e locis ab eodem laudatis, Tertull. de cor. mil. (ed. Paris 1566. 8. 1, 744), Hieron. contra Lucif. cap. 4; Joh. Diaconus in Mabillon mus. ital I, 2, pag. 69: „*lac* ergo et *mel* potantur novi homines". Atque Hieron. in Iesaiam, 55, 1 ait: „lac significat innocentiam parvulorum, qui mosae typus in Occidentibus hodie usque [igitur seculo quarto a. n.] servatur, ut renatis in Christo vinum lacque tribuatur."

Unde hunc morem derivarint Christiani quaerendum. Obvia est coniectura etiam apud Iudaeos haud disparem exstitisse ritum, aut saltem tritum vitae esse symbolum iis lac et mel. Illud consequerere e verbis Hieronymi modo laudatis „mosae typus", si modo talis ritus vestigia superessent, sed neque hodie usu venit et viri, ritus iudaeici periti, quos consului, eius memoriam esse negant. At vitae symbolum esse lac et mel verosimillimum. Prae ceteris ratio est habenda Jesaiae VII, 14. Exorto bello cum Syria et Israële, ut angorem animi regis Achazis tolleret, se ipsum huic nuntiasse narrat, nihil mali ab invasione hostili esse metuendum; securi esset animi, cum suo incommodo sacram Judae gentem adortos esse duos reges. Cuius rei ut fides ei augeretur, peteret signum quodcumque vellet a Deo. Ferocius negante illo, se tale quid petiturum esse, contumacia exprobrata, his respondet vates: „at Deus signum tibi dabit: ecce virgo est gravida, et pariet filium, nomenque eius erit 'Immanuël. *Butyrum comedet et mel* donec sciat recusare malum et appetere bonum. Priusquam is puerulus sciat recusare malum et appetere bonum haec terra, de qua doles, profecto libera erit a duobus regibus." Quae alia poëta his significaverit, expedire h. l. non attinet

quamquam conferendus c. VIII, § 3 sq.; verba autem „mel butyrumque comedet" profecto demonstrant et sacrum esse hunc cibum et fortasse primum. Sententia enim prophetae procul dubio haec est, prius quam ex infantia egressus foret puer nasciturus, regno Judae cessuros esse hostes. Butyrum autem et mel symbola esse omnium bonorum commentator Rashis affirmat, atque ostendit terra ferax, abundans, divitiis referta saepius appellata terra, redundans melle et lacte (vid. e. g. Deuteron. XXVIII, 3; Exod. III, 8). Cf. et Cant. Cant. IV, 11, ad quem locum in Talmude (Tract. Sotha, fol. 11), ut a viro harum rerum peritissimo accepi, annotatur, tempore servitutis Aegyptiacae, cum infantibus masculis insidias pararent Aegyptii, sub arboribus clam enixis mulieribus divinitus attulisse angelos globulos binos, mellis alterum ad alendos natos, alterum olei ad unguendos eos. Similis fabula etiam in Mohammedanica traditione servata est, si idoneus iudicatur testis, quem produco. Forte in manus venit mihi libellus, cui titulus: „Nederlandsch Israëlitische Muzenalmanak, A. M. 5604 (1843—1844)". Eum pervolvens incidi in dissertatiunculam de Abrahame, mytho Mohammedanico celebrato. Cuius argumentum, desumptum e fabula „Tarik-Mounteckeb" [1]) hoc est: Nimrod, quem scriptor regem modo, modo solem vocat ex somnii cuiusdam interpretatione timet, ne mox nascatur infans, sibi regnoque suo infestus. Infandi ominis avertendi causa edicto, ut ne viri feminaeque coire vellent, in Adnahe uxore Azaris, Therachi filia, quae adversus re-

[1]) Sermonis arabici prorsus ignarus, de auctoritate fontis deque fide eius, qui belgice verterit, iudicium ferre non possum.

gis iussum conceperat, graviditatis signa divinitus latent. Natum puerum metuens ne occideretur, si ad regem partus sui perlatus esse rumor, clam omnibus, etiam marito, cui morte subitaria correptum simulaverat, in speluncam portavit, ut remaneret ibi, donet esset adultus. Eodem mater saepius, quoties tempora sinebant, commeabat, ut filium lacte aleret. „Cum autem aliquando, ut solebat, ad infantem tenerum properaret mater mammam apponere ei concupiscens, mirabile dictu duobus digitis uno tractu sugentem invenit puerulum, *lactis fluvios emittente altero, altero mellis*" [1]).

Iam ad alium haud minus memorabilem advenimus consensum. Pueri vel puellae, simulac nati sunt, quacunque de causa, tum expositi tum leto dati forte fortuna tamen deorumve auxilio servati multis multarumque gentium mythis sunt communes. Quid? Quod non solum in mytho christiano aut germanico, similiterque in mohammedanico, sed etiam in fabula graeca melle novi nati vita divinitus protegitur, num hoc fortuitum putas? Sed vide, quam dicam fabulam graecam.

In Pindari Olymp. VI Iamidarum laudibus extollitur familia, claris illustris vatibus. Quorum parens Iamus editus est ex Apolline et Euadne. Eam furtim a deo compressam gravidam cum animadvertisset Aepytus rex, cuius domi degebat Euadne, Delphosque oraculum ut super ea re consuleret esset profectus, pariendi tempus appropinquabat. Absente igitur Aepyto enixa est. Infantem matri subductum duo dracones alunt ἀμεμφεῖ ἰῷ μελισσᾶν i. e.

[1]) „Eenmaal echter toen de verlangende moeder naar haren teederen zuigeling ijlde, om hem de moederborst te bieden, zag zij met verbazing, dat het kind aanhoudend op twee vingeren zoog; zij zag hoe uit den eenen melk, uit den anderen echter honig vloeide". l. l. pag. 35.

melle (vid. l. l. vs. 73 sq.): Aepytus igitur de itinere redux recens natum domi non invenit, neque scit quisquam, ubinam versetur; qui cum deinde ἴοις, violis, obrutus apparuerit appellatur Iamus. Neque magis recte poëta a voce ἰῷ (μελισσᾶν) duxisset etymologiam Iami, quam ab ἴοις. Neutram placere facile mecum sentias [1]). Ἰός autem vi „liquoris", si hunc

[1]) Quamquam magnopere assentior iis, qui arbitrantur in rebus enarratis explicandis quam cautissime esse versandum, tamen cum tanta specie veritatis explicari mihi videtur posse mythus Iami. ut coniecturam enuntiare audeam, quam, si rem acu tetigerit, probari, sin misere a scopo aberraverit, quam primum confutari spero, tantummodo invidiam deprecatus. Eundem atque Yamam, potentem illum apud Indos deum inferorum Pindari Iamum esse existimo, et has quidem ob rationes. Deos solares, quos mythologia solis filios appellat, singulas diei, anni etc. partes regere notum est. In iis est Yama, (vid. Max Müll. Lectures etc. II, pag. 554 sqq. ed. 6a) occidentis potissimum solis deus, mox vesperi et umbrarum rex, initio vero non magis orientem solem et diliculum designans quam vergentem et crepusculum. Hoc si tenemus, in Iamo Pindarico, si quidem a sana etymologia nihil contra dictum erit multa sunt, quae ei cum fratribus geminis Yama et Manu sunt communia. Etenim Apollinis, i. e. solis est filius, mater eius fertur *Eu*adne, cum *Ari*adne, haud dispar nomen, Minois = Manus est filia. Tum Iamus simulatque est natus, absconditur, diu latet patrem et matrem, divino cibo, melle vitam sustentans. Tandem quinto die invenitur ἴων ξανθαῖσι καὶ παμπορφύροις ἀκτῖσι βεβρεγμένος ἁβρὸν σῶμα. Num casu accidit, ut ea potissimum imagine usus sit poëta, mira et insolita? Nonne toti loco lux affulget, si non puerum amissum recuperari, verum solem, qui per noctem latuisset, mane putamus inveniri „fulvis et purpureis radiis tenerum corpus irrigatum"? Facile autem inter sese confunduntur ἰόν „sagitta" ἴον „viola", ἰός, „liquor crassus" praesertim in re mythologica. Melius quam viola loco nostro conveniret aut flavum mel, lucis symbolum aut, et hoc potius crediderim, sagittae, ἰοί, *ishavas*, quam metaphoram in solis radiis usitatissimam esse constat. —
Insolitum sane est si in voce Iami graecum ι respondet initiali sanscr. *y*, quia in aliis vocabulis aut ζ aut spiritus asper eius locum tenet. Cum tamen in nominibus propriis vetustae formae diutissime immotae maneant, neque sit ullum *y* in linguis ariis, quod non ortum sit ex *i*, grammatica non magis obstat coniecturae, quam favet. Iudicium sit penes lectores.

Pindari versum exceperis, in tota graecitate non videtur poni; constanti enim usu „venenum" significat. Nostro vero loco *ἰὸς μελισσᾶν* quid aliud esse potest, nisi „liquor apum"? Atque grammatica, quae comparativa dicitur, fortasse latius quondam patuisse eius vocabuli vim probabit. Cum enim sanscritice venenum sonet *visha,* haud dubie componendum cum lat. „virus", „viscus", graec. Fιός (cf. Curtius, Griech. Etymol. pag. 362) *ish* qualemcumque designat liquorem, praecipue alentem, vires addentem. Quod autem saepe in linguis ariis accidere observatum est, ut duae eiusdem verbi sint formae, quarum alteri praeposita sit litera *v*, altera careat, significatione aut prorsus eadem aut tantum non mutata, id hoc quoque verbo factum esse videtur. Namque et *visha* nonnumquam positum est vi „aquae" ut *R*gv. X, 136, 1 auctore Nirukt. 12, 28 (vid. Lex. Pet. s. v. locosque alios ibi laud.), ubi quominus de veneno cogites iam sententia prohibet, et in Ath. Ved. IV, 6, quo carmine venenum incantatur, quod per sagittam corpus penetraverit, vs. sexto tamquam synonyma sunt *isha* et *visha*; venenum utrumque designantia: *arasas ta isho çalyo atho te arasam visham.* Proprie *vish-ish* Fιός-ἰός videtur significavisse „liquorem crassum", cf. lat. *viscus.* Tum recte mel appellatum sit ἰὸς μελισσᾶν.

Itaque mellis apud Graecos quoque recens nato dati indicium nacti sumus; ritum huc ferentem scriptores, quantum scio, non memorant. Temere tamen ageremus, si silentio scriptorem moti perhiberemus nullum fuisse. Considerantibus enim, quantilla pars rerum humanarum et divinarum in monumentis tam Graecorum quam Romanorum supersit nobis aut sit nota, cum alia tum ritus

domestici parum aetatem tulisse videbitur. Facile etiam accidere potuit, ut in nonnullis familiis civitatibus tribubus obtineret huiusmodi ritus, ab aliorum moribus abhorerret. Si fuit, profecto non insignem in re divina tenuit locum.

Romanis usu venisse cibi initiationem auctor est Varro apud Non. pag. 74 G.: „Edusam et Potinam praesides vult habere puerorum Varro Cato vel de liberis educandis: cum *pro* [primores?] [1]) cibo et potione initiarent pueros, sacrificabantur ab edulibus Edusae a potione Potinae nutrici". Mancum videtur hoc Varronis fragmentum, neque recens natos ab eo spectari est probabile. Cum annaprâçano [2]) initiationem illam componere praestat. Quae enim Donat. ad Terent. Phorm. I, 1, 15 Probi grammatici affert: „Legitur apud Varronem, initiari pueros Eduliae et Poticae et Cubae, divis edendi et potandi et cubandi, ubi primum a lacte et a cunis transierunt" ea, quamquam a Phormionis, quem interpretatur loco aliena, ut recte ipse statuit Donatus, ex eo fonte manasse cuius rivulum apud Nonium modo adiimus admodum est verisimile. Eodemque usi esse videntur patres ecclesiastici, quoties Poticae (sive Potinae sive Potuae) et Eduliae (sive Edusae) mentionem faciunt, velut August. de Civ. Dei IV, 11; VI, 9.

---

[1]) Marquardt, Röm. Alterth. IV, pag. 12, ann. 39, cui debeo hunc locum, siglum *pro* explicat, ut significet *primo*. *Primores* autem inveni in dissertatione viri doct. Francken, Fragmenta M. Ter. Varronis etc. 1836 non addito, de suo eum ita mutavisse. Quamvis mihi non constet, quid scripserit Varro, Marquardti coniecturae hoc mihi obstare videtur, quod abundat *primo*, iam unum *initiare* te cogit, ut de primo cibo cogites. Fortasse in codice scriptum *prs*, *patres* significans.

[2]) i. e. sacramentum, quo sugendi finito tempore ad alium cibum transibat infans.

Persae, ut his concludamus, pro arctiore sanguinis vinculo minime in nostro sacramento ab Indis distant. Ab illis lac vel homa recens nato dabatur (vid. Max Duncker, Gesch. der Arier, pag. 185).

Plura profecto et meliora extrinsecus afferri poterant, quibus illustretur Indorum ritus; dedi autem quae inventa habeo, neque pro exiguis meis et doctrina et historiae morumque usu satis alte in ipsam vitam populorum quos recensui penetrare licebat. Sufficiunt tamen, quibus demonstremus, cum communia vitae symbola fuisse multis gentibus, tum Indis, Persis, veteribus Christianis esse cibi initiationes tantum non easdem. Grave autem, quod indagavimus, Iudaeis et Arabibus, semiticis gentibus par esse symbolum, parem fortasse ritum cum ariis compluribus, si non cum omnibus. Quae eius consensionis sit causa, utrum fortuitum putemus, an a Persis accepisse existimemus illos symbola, traditione sacra, sua lingua haud intellegenda, an magis hos tradidisse illis, non liquet mihi pro exili mea linguarum et vitae semiticae scientia. Neque decernam, Christianine a Persis potius quam a Iudaeis sibi sumserint „lactis mellisque concordiam". Sed ariis gentibus nomen ut fit peperit symbolum. Namque vox *madhu* quo mel sanscr. nuncupatur, proprie est adi. vi „dulcis, suavis, iucundi", neque raro ita usurpatur. Exempla dat Lex. Pet. s. v. et composita, veluti *madhuçcut* „dulce profundens" affirmant. Subst. igitur ubi est in Vedis, plerumque adeo late patet, ut cuiuscunque generis „bona" eo appellentur. In feralium quadam ceremonia recitanda sunt *R*gv. I, 90, 6—8:

madhu vâtâ r*tâyate madhu ksharanti sindhava*h
*mâdhvîr na*h *santv oshadhî*h

madhu naktam utoshaso madhumat pârthivam rajah,
madhu dyaur astu nah pitá
madhumán no Vanaspatir madhumán astu Súryah,
mádhvír gávo bhavantu nah.

i. e. „madhu venti pio profundant, madhu aquae, madhus plena nobis sint herbae, madhu nox et dilucula, madhu referta terra sit, madhu sit nobis coelum pater, madhu plenus Vanaspatis (i. e. Agnis) madhus plenus Sol, madhus turgidae nobis sint vaccae". In Ath. Ved. IX, 1, 18 poëta inter alia precatur:

yad girishu parvateshu goshv açveshu yan madhu
surâyâm sicyamânâyâm yat tatra madhu tan mayi

„quod madhu est in montibus rupibus, in bubus quod est in equis, in surâ (liquore quodam dulci), cum spargitur, id sit in me". His et similibus locis (v. c. A. V. I, 34) *madhu* significat quodcumque est bonum faustum felix. Sermonis dulcedo cui est, is non minus *madhumán*, quam ἡδυεπής Nestor ille, cuius alio epitheto μελίγλωσσος optime respondet sanscr. *madhujihva*. Quod autem in voce generali saepe observatur, postquam ad varias simul res eodem iure applicata sit, procedente tempore paucas vel unam tantum ex his designare eam incipere, id etiam *madhu* contigisse videmus. Ita factum est, ut sensim in nomen mellis, et vini dulcis, suci florum (vid. Lex. Petrop. s. v. *madhu*) verteret *madhu*. Lac, butyrum et similia eodem *madhu* aetate Vedica adhuc appellantur nomine, neque *madhu* quod supra in bubus ut sit flagitatur, aliud quid esse potest nisi lac. Quodsi mel et lac una „dulcis" appellatione vocabantur, per se quodque vel promiscua ea pro vitae atque salutis symbolo fuisse non amplius est, quod miremur.

Butyri autem liquefacti et alibi epitheton est *madhu*, et in regula altera eius versus, quem Baudhâyani sinistrae infantis auri insusurrant: *ghrtam pîtvá madhu cáru gavyam*, i. e. „butyrum potus dulce, carum, bovinum". *Ghrta* symbolum est lucis. Namque est part. verbi *ghr*, *jigharti*, *ghrnoti* = „fervere, lucere" unde *gharma ghrna ghrni*, „ardor, fervor" „calor" (cf. θερ-μός, ferv-eo; vid. Max. Müll. Lect. on the Science of Langu. II, pag. 405 ed. 6a). *Ghrta* igitur est „lucidum, fervidum"; tritissima metaphora et medialiter solis designat lucem et passive butyrum, quod fervore est liquefactum. Fervendo autem etiamnunc *ghrta* sibi parant sacrificantes. Terrestris Agnis, ignis nimirum qui est super foco, alimentum est *ghrta*, est alimentum *ghrta* coelestis sc. Solis, huius lux, butyrum illius. Inde derivandum est plurima sacrificia butyro fierit liquefacto; alunt enim deos. Non desunt carmina, quibus celebratur *ghrta*, appellaturque *annam Agnes*, i. e. „cibus Agnis", veluti *R*gv. IV, 58, 1; X, 69, 2; TBr. I, 2, 1, 11. Neque mirandum, de industria nonnumquam ambigua vocis *ghrta* significatione ludi, ut *R*gv. X, 69, 2.

ghrtam Agner vadhryaçvasya vardhanam ghrtam annam
ghrtam u asya medanam
ghrtenâ 'huta urviyá vi paprathe Súrya iva rocate sarpirâsutih

i. e. „ghrta est incrementum Agnis, ghrta cibus, ghrta eius pinguedo, ghrto adspersus in terra dilatatur, uti Sûryus lucet butyro natus". Quamquam enim h. l. cum Sole comparatur Agnis, potens invocatur lucis deus, non ignis tantum, qui est in foco. Atque cum II, 10, 3 legimus: *jigharmy Agnim havishá ghrtena pratikshiyantam bhuvanáni viçvá*, non solum valet: „Agnim butyro adspergo, deum, qui totum

mundum accolit" sed etiam „lucis symbolo lucis deum calefacio". Ambiguam explicationem admittit etiam carmen alterum, quod Baudh. in sinistram infantis aurem insusurrari iubet, pag. 89 a nobis prolatum. Aut enim *ghrta* ita licet accipere, ut sit butyrum liquefactum; tum in hunc modum vertas: „longam vitam, da, o Agni, de sacrificio gustans, faciem butyro sis adspersus, e butyro oriaris" aut *ghrtapratîka* et *ghrtayoni* ea mente appellatur Agnis, quod „lucenti facie" est, „in luce originem habet". Atque saepius haec et *ghrtaprshtha*, „in dorso lucem habens" vel „dorsum butyro adspersus" pro epitheto sunt Agnis. Neque Agnis solus ghrto nascitur et reficitur, sed quicquid est luminum „luce" pascuntur (vid. Varâh. Brh. 48, 52). Ushas, i. e. Aurora est *ghrtaprshthá* (vid. Max. Müll. Lectures etc. II, pag. 405, ed. 6a). Somae dei i. e. Lunae in *R*gv. IX, 82, 1 memoratur *yonir ghrtaván*, i. e. origo ghrti plena". — Sed iam tum, cum carmina fiebant Vedica, vulgus non amplius intellegebat vim ghrti, atque qua mente in A. V. XIV, 1, 4 somum legimus alium homines in sacrificio bibere sibi videri, alium nosse brahmanes, eadem scriptum est in A. V. VII, 29, 1 et *R*gv. IV, 58, 1 *ghrtasya náma* esse *guhya*, i. e. „occultum".

Quicquid denique lucis, laeti, beati est in mundo *âjya* sive *ghrta* nomine ea omnia contineri, praeclare ostendunt versus in Varâh. Brh. 48, 52 sq.:

ájyam tejo samuddishtham ájyam pápaharam param
ájyam suránám áhára ájye lokáh pratishthitáh.
bhaumántarikshaṃ divyam ca yat te kilbisham ágatam
sarvam tad ájyasamsparçât pranáçam upagacchatu.

i. e. „âjyum (lucem) splendorem esse tradunt, âjyum (lu-

cem) summum peccatorum demptorem, âjyum (lux) deorum est cibus, in âjyo (luce) mundi sunt positi. Quidquid mali ex terra, aëre, coelo te incesserit, hoc omne âjyi (lucis) contrectatione evanescet". Iam luce clarius, quid significet ghṛti symbolum.

Denique lucis nomine significari et vitam minime mirabuntur nostri homines quibus tersa est haec metaphora, haud scio an omnibus fere linguis communis. In Çat. Brâhm. VIII, 3, 2, 14 in universum dicitur: *prấno vai jyotih*, i. e. „animam (vitam) significat lux" et IX, 4, 2, 14 lux appellatur immortalitas (*amṛtatvam vai ruk*). Non sane ea immortalitas, quae mortem prorsus arcet, verum vita longa, *dī́rgham ấyur*, quicum saepissime uno ore coniungitur *amṛta*. *Amṛta* enim haud raro est negatio mortis, igitur mera vita.

Age, iterum convertamur ad sacrum illud carmen, quod pronuntians ut puero cibum infundat pater, praecipit Āçvalâyanus, quod et antiquitate cetera videtur anteire. Iam melius capimus quid sit:

pra te dadấmi madhuno ghṛtasya vedam Savitrấ prasû́tam maghonấ

nempe: „participem te reddo thesauri, dulci constantis luce, quem procreavit Creator dominus". Etenim sive pro duobus subst. esse vis *madhuno ghṛtasya*, sive alterutrum adiectivum ducere magis placet, lucem mellis butyrique symbolo significari ab omni dubio remotum videtur. Lucem, i. e. vitam solenniter nato dat pater tum, cum mellis butyrique guttis os nati oblinit.

Cum autem vitae lucisque symbola habeant maiestatem adque omnes pertineant animantes saepius in sacris domesticis ea inveniuntur, non tantum in jâtakarmane. Sic

boves e prato vesperi redeuntes paterfamilias his salutat (Âçv. Grhy. II, 10, 6):

yâsâm ûdhaç caturbilam madhoh pûrnam ghrtasya ca
tâ nah santu payasvatîr bahvîr goshthe ghrtâcyah

i. e.: „eae, quarum uber, quatuor foraminibus praeditum mellis plenum et butyri [i. e. omnium bonorum plenum] munificae sint nobis, multae in stabulo, butyrosae" et quae sequuntur. Neque in hospitii liberalitate deest *madhu*, quin ipsi sanctissimae ceremoniae, qua hospitem excipit paterfamilias *madhuparka* est nomen, i. e. „mellis gustatio". Magna in feralibus quoque habetur ratio mellis, lactis, butyri, sim. Compluria postquam enumeravit Manus III, 267 sqq., quibus Manes saturare fas est, nullum iis tam gratum atque pium offerri posse pronuntiat sacrificium, quam quod die decimo tertio mensis detur cuique sit admixtum mel. In çrâddhi descriptione, quae exstat apud Âçv. Grhy IV, 7 sq. butyro adunctum *ghrtâktam* cibum paterfamilias Manibus offert (vid. l. l. c. 8, 2 ed. Calc. = 7, 18 ed. St.) Apud Graecos et Romanos cum fere nihil occurrerit nobis, quod ad mellis butyrive gustationem in novo nato pertineret, forte fortuna non desunt feralium descriptiones, plenae lactis, mellis, aquae [1]). Quarum notissima, ubi Ulysses de se narrat:

χοὴν χεόμην πᾶσιν νεκύεσσιν
πρῶτα μελικρήτῳ μετέπειτα δὲ ἡδέι οἴνῳ
τὸ τρίτον αὖθ' ὕδατι ἐπὶ δ' ἄλφιτα λευκὰ πάλυνον (Odyss. XI, 26 sqq.)

μελίκρητον autem melle constat et lacte commixtis [2]). Haud

---

1) Et aquae in jâtakarmane adhibentur. Vid. supra pag. 72, 76, 86 sq. et infra.
2) Vid. Eustat. ad Odyss. XI, 519, ubi repetuntur versus laudati.

dispares sunt χοαί, quibus Darium evocat Atossa in Aesch. Pers. 608 sqq.

χοὰς
φέρουσ' ἅπερ νεκροῖσι μειλικτήρια
βοός τ' ἀφ' ἁγνῆς λευκὸν εὔποτον γάλα
τῆς τ' ἀνθεμουργοῦ στάγμα, παμφαὲς μέλι

sqq. Quodsi hac in re Persarum ritum secutus est Aeschylus, iisdem gentes consanguineas symbolis diceres esse usos. At verisimilius sui populi ceremonias in Xerxis aulam transtulisse poëtam. Aliud χοῶν exemplum vid. in Soph. Electr. 893 sqq., ubi deest quidem mel, lac vero memoratur. Vini in χοαῖς usus simili modo mihi explicandus esse videtur, atque mellis et lactis. Etenim et aliis graece vinum appellatur nominibus et μέθυ. In μέθυ autem vel singulas literas respondere sanscr. *mádhu* quis non videt? Ecquae dubitatio exstare potest, quin proprie μέθυ „*dulcem* potum" designaverit? [1]) Cum autem e nominibus nascuntur symbola, tum in liquore, cui inebriandi vis est, divini quoddam putabatur inesse. Unde et iuxta dulce et lene ghrta, fervidum temetum *soma* Indis est lucis imago. Ita et Graecis praeter dulce μέλι etiam μέθυ obtinuisse videtur vitae signum [2]).

In Romanorum feralibus, quatenus efficias e Verg. Aen. V, 77 (cf. III, 66; V, 98) lacte, vino, sanguine placantur Manes. Sil. Ital. XVI, 309 Vergilium imitatus esse videtur.

---

[1]) Constans οἴνου apud Homenim epitheton est ἡδύς; vide vel versus pag. superiore a nobis laudatos.

[2]) Operae pretium est conferre Bacchanalia, in quibus magna habetur ratio lactis, mellis, vini, aquae. (vid. Eurip. Bacch. 142 sqq.; 703 sqq.)

Transeamus ad aurum. Quod quanti in prâçani ceremonia sit momenti vel ex eo apparet quod discrepantes de ratione, qua coniungatur reliquo cibo, coniungendum esse summo consensu pronuntiant scholae. Quid significet, quaerendum. Exstant carmina aliquot, quibus extolluntur potestates aurei sive torquis sive globuli, quaeque aurum reddunt efficax. Est enim aurum remedium malorum, vitae productor, virium, opum, denique omnium bonorum parator. Samâvartani sacramentum, quod exacto discendi tempore peragit discipulus discessurus a magistro inter alia habet globulum aureum collo circumdatum [1]). Eo se exornat adolescens, recitatque carmen eius generis quod modo dixi, conflatum undique corrasis versibus, multis inquinatum vitiis (vid. Stenzleri ann. ad Āçv. G*r*hy. III, 8, 21, pag. 104 vers. germ.). Nomen est ei *âyushya*; ab hoc enim vocabulo incipit. Quod si minus misere habitum esset, neque chartae mihi esset parcendum, vel totum exscribere vellem; adeo praeclare vim auri ostendit. Primo loco dat omnia bona (vid. in Pray. Ratn. pag. 62 med. carminis „âyushya" vs. 1, cf. Atharv. V, 28, 14), nam *sarvâ*h *samagrâ* r*ddhayo hira*n*ye 'smin samâhitâ*h, „omnis omnino prosperitas hoc continetur auro" (vid. carminis vs. 2, b.). Tum malos daemones, lamias, sim. propellit et morbos, *na tad rakshâ*m*si piçâcâ*h *sahante*, „non sustinent id malevoli daemones". Denique reddit vitam longam, (vid. carminis vs. 8 = A. V. I, 35, 1) efficit *am*r*ta* portanti. In Çat. Brâhm. V, 2, 1, 20 expressis verbis scriptum est: *am*r*tam âyur hira*n*yam*, *tad am*r*ta âyushi pratitish*th*ati*: „immortalis vita est aurum; hoc enim immor-

---

1) Āçv. quidem III, 8, 16 (21 St.) torquem nominat *ma*n*im*. Ex ann. Nâr. ad h. l. scimus aureum dici; *ma*n*i*h enim ei est *suvar*n*amaya*h.

talis vitae vim habet". Si autem carminis *áyushya* vs. quintum = A. V. IX, 26, 1 inspexeris:

*Agne*h *prajáta*m *pari yad dhira*ṇ*yam am*ṛ*ta*m *dadhre adhi martyeshu ya enad veda sa id enam arhati jarám*ṛ*tyur bhavati yo bibharti.*

i. e. „qui novit aurum ex Agni natum, quod immortalitatem in mortalibus sustentat, is eo [sc. Agni] dignus est, longaevus fit qui portat", quid aliud auro indicari putas, ex Agni nato, nisi lucem, quam splendens deus animantibus praebet, unaque cum sit lux et vita, recte appellatur immortale in mortalibus versans. Tum quae auri celebrantur potestates, eae et lucis solaris. *Am*ṛ*ta* ut aurum, sic appellatur Sol (vid. *R*gv. IV, 11, 5), lamias ut aurum, ita fugat Sol (vid. *R*gv. V, 14, 4; A. V. VIII, 6, 8; 12 al.) remedium ut est aurum ita et Agnis est *amîvacâtana,* „mali, morbi fugator". (vid. A. V. I, 28, 1) [1]). Qui portat aurum eum carminis *áyushya* versus tertius appellat *súryatvacam* „solis pelle vestitum."

Aurum igitur cibo, quo puer initiatur, eo consilio adiunctum esse videtur, ut longaevitate imbibatur, am*r*tam adipiscatur. Quid autem sit, cur aurum sit symbolum lucis, poëtas roga. Ille tibi dicent aureum esse solis discum, aureos radios, Apollinem *χρυσοκόμαν,* sim. Atque summus Indorum poëta, videlicet ipsa lingua sanscritica similibus appellat nominibus solem et aurum, illum cum vocat *hari* hoc *hira*ṇ*ya* nuncupat. *Harita* autem, cognata vox significat colorem, quem *χλωρόν* appellant Graeci, modo viridem, modo flavum vel fulvum [2]). Sic in A. V. V, 28, ubi triplex

---

[1]) Ath. Ved. VIII, 2, 28 pinus, aut potius eius arboris resina dicitur corpus esse Agnis eademque appellatur *amîvacâtana.*

[2]) Est *harita* idem vocabulum atque nostrum *goud*, Gothice *gulth.*

amuletum, auro quippe constans et argento et aere celebratur versu quinto: *bhûmish* tv*á pátu haritena viçvabh*r*d* sqq. terra amuleti possessorem tueri dicitur ea parte, quae est ex auro, at versu nono *divas tvâ pâtu haritam* sqq. auri vis in coelum transfertur; etenim illic *harita* simul accipiendum ut significet herbas virides, quae sunt in terra, hic de fulvo lucis colore cogitatur. Pluribus in hanc rem inquirere non est opus, sufficere nobis videntur ea quae disputavimus ad demonstrandum id quod posuimus. Ultimum vero eiusdem Ath. Vedi carminis versum praetermittere non oportet, eo enim cum melle et butyro componitur amuletum. Est enim:

*gh*r*tád ulluptá*m *madhuná samaktá*m
*bhúmid*r*mhá*m *acyutá*m *páráyish*nu
*bhindat sapatnán adharámçca k*r*nvad*
á má roha mahate saubhagáya,

ubi melle inunctum appellatur amuletum; qua vero ratione coniuncta putentur amuletum et lac, mihi non est perspectum.

Bulla aurea, quam patriciorum liberos in collo portavisse notum est, anulus aureus equitum Romanorum insigne haud scio an huc ita pertineant, ut similem auri in iis vim videri putemus. Commoveor enim et Plinii H. N. XXXIII, 4: „aurum plurimis modis pollet in remediis. Vulneratisque et infantibus applicatur, ut minus noceant, quae inferantur veneficia", et eo, quod fascini loco habetur bulla discique lentisve eius est figura, ut Plutarchus ait Quaest. Rom. 101: „ἀλλ' ὅρα μὴ καὶ τοῦτο [sc. τὰς βούλλας] διὰ τὴν σελήνην φοροῦσι. τὸ γὰρ φαινόμενον σχῆμα τῆς σελήνης, ὅταν ᾖ διχόμηνος οὐ σφαιροειδές, ἀλλὰ φακοειδές ἐστι καὶ δισκοειδές."

Neque Plutarchi hac in re fides nobis suspecta esse debet, quamquam non omnibus disci figuram fuisse scimus; variam enim exhibent speciem eae quae aetatem tulere hisceve temporibus sunt defossae [1]). Atque multa alia mali oculi avertendi causa portabant pueri puellaeque, cuius rei luculentum testimonium dat Plaut. Rudent. Act. IV Sc. 4. Apud Indos similis mos etiamnunc obtinet.

Haec de principe ceremonia. Reliquae aut explicationem non desiderant, veluti stanapânum quod iam capite secundo satis illustrasse nobis videmur, aut paucis expediri possunt. Ex quibus de ea, quae apud Āçval. prâçanum exipit, medhâjananum dico, hoc tantum moneo, Mentem a patre advocari sub lucis signo, auro nempe infantis auribus imposito. Carmen, quod tum pronuntiat est pars longioris, quod integrum nobis servavit Āpast. pray. de upanayano agens pag. 30, a. Cuius rei mentionem facio, propterea quod e ruderibus religionis Romanae superest deae Mentis nomen, quae bonam pueris dabat mentem (vid. August. de Civ. Dei IV, 21; VIII, 3) et Minerva quaedam memoratur, quae memoriam iis tribuebat (vid. August. l.l. VII, 3) [2]).

---

[1]) Vid. Marqu. Röm. Alt. V, 84 sq. ann. 446 sq.; Jahn Ber. der sächs. Gesellsch. der Wissench. Ph. hist. Cl. 1855, pag. 42.

[2]) Vehementer suspicor, ingentem illam divinitatum minorum catervam, quarum nomina partim e Varrone nobis servavere patres ecclesiastici potissimum, partim cum ipsis diis penitus interierunt, non solum ex attributis esse ortam, quod iam luculenter Ambrosch in egregia sua de indigitamentis disputatione ostendit sed etiam simili modo natum atque apud Indos, nempe e carminibus quae in ceremoniis adhibebantur. Haud scio an e. g. dea Mens deaque Minerva invocarentur in carmine, quo mens et memoria traderetur infanti. (Cf. Serv. ad Georg. I, 21; Horat. Epp. II, 1, 32 sqq., inprimis 38).

Aquae urnam infantis capiti appositam, quae ceremonia concludit jâtakarma, ad lamias aliaque monstra absterrenda adhiberi, declaravit nobis carmen, tunc pronuntiandum. Atque aquae quoque sunt salutares, quarum cum magna ut in re divina, nempe in lavationibus et purificationibus habeatur ratio, rei ferat ipsa natura, demonstratione fere non est opus in puris laticibus sanctitatem quandam et bonitatem inesse putari. Crebro in Indorum libris sacris appellantur *çivás*, i. e. „benignae" vel *çivatamás*, ut in Ath. Ved. I, 5, quo carmine et sequenti, saepissime in re divina usurpatis, invocantur ut prosperitatem beatitudinem divitias dent, ubique iis est epitheton *bheshajam* „remedium". Salutaris autem vis aquarum, in consimili re, videlicet in strigibus arcendis, quae infantes vexant, Romanorum celebratur mytho. Quem nobis servavit Ovid. Fast. VI, 131 sqq. Procam, qui postmodo rex fuit Albae, in cuna iacentem striges petunt sanguinis avidae, neque eos fugare, neque a corpore cari nati prohibere queunt parentes. Confugitur ad nutricem Cardeam:

Venerat ad cunas. Flebant paterque materque.
  Sistite vos lacrimas, ipsa medebor ait.
Protinus arbutea postes ter in ordine tangit
  Fronde, ter arbutea limina fronde notat:
Spargit aquis aditus — et aquae medicamen habebant —.

Admodum animum stringit memorabilis hic Indorum et Romanorum de medicamine aquarum consensus.

Cum in capite secundo a nobis sit demonstratum, illarum scholarum ritu, quae ad Nigrum se applicant Yajurvedum ceteris praeponi ceremoniis tum pueri sublationem osculationemque tum lavationem, haec simul illustrata est

iis, quae modo de vi aquarum statuimus. Lavari autem natum, ut uterina removeatur impuritas, procul dubio omnium fere est gentium; solennem lavationis ritum etiam apud veteres Scandinavos indagavit Grimm, Deutsche Rechtsalt. pag. 455 et praesertim pag. 457. Lustrationem, pariter atque apud Indos, praecedit sublatio. Tollunt autem pueros et Indorum scholae aliquot et Germani et Romani. Suscipiendo pater declarabat se agnoscere natum, sibique educendi esse animum. De Romanis hoc constat, in Germanis ostendit Grimm, quem vide pag. 455 Rechtsalterth. in hanc rem sedulo inquirentem. Quod si in universum valet, praeclara luce totum affulget jâtakarma. Peracta enim vel prima eius ceremonia, sive sublatio, sive cibi initiatio vitam nati tuebatur, neque amplius licuisse apparet patri exponere eum vel necare. Vetustissimi autem moris fuisse nonnisi rectos et vitales tollere, deformes vero vitioque captos interficere verisimile, cum non solum Spartiatae diu sic agere solerent, sed etiam multa apud Romanos exstent indicia, e. g. Sen. de Ira I, 15: „liberos quoque si debiles monstrosique editi sunt mergimus"; Liv. XXVII, 37. Atque veteris religionis fortasse vestigium mecum agnoscis in Suet. Calig. 5 ubi legimus partus coniugum esse expositos (a nonnullis) quo Germanicus defunctus est die; religionem enim fuisse opinor eos tollere, qui malis ostentis ominibusque nati essent. Filias saepius quam filios exponi satis est testimoniorum. De Indis auctor est Weber Stud. Ind. V, pag. 260.

Plura his addere constitueram. Namque et disserendi mens erat de nonnullis carminibus, quae in Ath. Vedo exstant, ad nostrum pertinentibus sacramentum et novo

capite comprehendere ea quae de tempore jâtakarmanis, de jâtakarmane puellarum, de neglecti piaculo similibusque in fontibus repereram. Hoc tantum non typis mandatum resecui, de illis posthac agere praetuli. Cum enim tempora urguebant, tum satius ducebam in posterum ea asservare neque dissertationem longiorem facere, quam et placet et meus fert animus. Sero consilium mutavi qua re factum est, ut corrigere mihi non liceret si forte in superioribus nonnumquam revocaverim lectores ad ea, de quibus agere mihi propositum erat, in hocce vero libello non inveniuntur.

Cum igitur iam in eo sim, ut finem hisce lucubratiunculis imponam animus me impellit, ut gratias agam quam maximas promotori v. cl. Kern, qui quot beneficia cum in studiis meis promovendis tum in hac dissertatione conscribenda in me contulit! Ignorantem docuit, incerto viam monstravit, labantem sustinuit, iuvenili ardore exsultantem coërcuit. Cuius ut et in futurum neque eruditio neque amicitia mihi desint, enixe rogo. Polliceor autem ego, si quid in me sit industriae, ardoris, ingenii, id praecipue positurum esse me in iis studiis quae versantur in illustrandis linguis, moribus, religionibus earum gentium, quarum

facies non omnibus una
Nec diversa tamen, qualem decet esse sororum.

APPENDIX AD PAG. 10.

Baudh. pray. pag. 54 b. sqq. exponit *nâmakara*na. Distinguitur inter quatuor nominum genera, nempe 1. *kuladevatânâma*, nomen genii familiaris, 2. *mâsanâma*, nomen e mense ductum, quo natus sit infans, 3. *nakshatranâma*, itidem ductum a nakshatro i. e. constellatione, 4. nomen proprium vel ut Indi dicunt quotidianum *vyâvahârika*m *nâma*. Ea, cum alia, tum *nakshatranâma* in acervo oryzae albae, qui est in vase aureo potissimum exarare iubetur pater. Atque hoc ordine enumerantur nakshatranâmâni.

Âçvina, *Âpabharâ*na, *Kârttika*, *Rauhi*nya, *Mârgaçîrsha*, *Ârdraka* [cf. Pâ*n*. IV, 3, 28], *Punarvasu*, *Tishya*, *Âçresha*, *Mâgha*, *Pûrvâphâlguna*, *Uttarâphâlguna*, *Hasta*, *Caitra*, *Svâti*, *Viçâkha*, *Anûrâdha*, *Jyesh*tha, *Mûlaka* [cf. Pâ*n*. l.l.], *Pûrvâshâ*dha, *Uttarâshâ*dha, *Çrava*na („*Çrâva*na *iti vâ*"), *Dhanish*tha, *Çatabhishak* („*Çâtabhishaja iti vâ*"), *Pûrvâprosh*th*apada*, *Raivata*.

Puellarum *nakshatranâmâni* paulum diversa haec exhibet l.l. pag. 93, a: *Âçvineyî*, *Âpabhara*n*î*, *Kârttikî* („*Gauri*n*îti vâ*"), *Rauhi*n*î* („*Suçrî*h *Jayantîti vâ*"), *Mârgaçîrshî*, *Ârdrakâ*, *Pu-*

*narvasu, Tishyá, Áçreshá, Mághí, Púrváphálguní, Uttaráphál-guní, Hastá, Citrá, Sváti, Viçákhá, Anúrádhá, Jyesh*thí, *Múlaká, Púrváshá*dhá, *Uttaráshá*dhá, *Çravaní* sive *Çrávaní, Çrávish*thá, *Çátabhishají, Prosh*th*apadá* sive *ºpadí* („*Nirrtir vá*"), *Raivatí.*

Falso pag. 10 statueram etiam in Āpast. pray. nomen *Āçvina* ordinem constellationum ducere, cum in earum ordine instituendo secutus sit rationes ex etymologia potissimum ductas. Sed vel sic *Açvayuj* praecedit *Krttika.*

THESES.

THESES.

I.

Morum religionumque earum gentium, quae vocantur ariae, una est origo.

II.

Ath. Ved. II, 13, praesertim ultimus versus eius carminis recens natum spectat.

III.

In Āçv. G*r*hy. I, 10, 23

yad asya [*karma*no] *atyarîrica*m *yad vấ nyûnam ihấ 'karam*

Agnish t*at svish*ta*k*rd *vidvấn sarva*m *svish*tam [*suhuta*m] *k*rn*otu me*

ea, quae uncinis circumscripsi glossemata eiicienda sunt.

IV.

Perperam in Ath. Ved. II, 28, 1 editum est:

Mitra enam mitriyát pátv amhasah

imo: *Mitro 'mitriyâd enam pátv amhasah.*

In eiusdem carm. vs. 4 metri causa lege: *yathá jîvásy aditer upasthe.*

V.

In Daçakumârac. ed. Wilson pag. 28 in monstro *devapraveshtum* non est erratum scriptoris elegantissimi, verum editoris, qui non vidit exaratum esse *devam anveshtum.*

VI.

Apud Luc. Iudic. Voc. 2 sine sensu legitur: *τοῖς γὰρ προπεπραγμένοις ἀεί τι μεῖζον προςτιθὲν ἄρδην με τῆς οἰκείας ἀποθλίψει χώρας ὡς ὀλίγου δεῖν ἡσυχίαν ἀγαγόντα μηδ' ἐν γράμμασιν ἀριθμεῖσθαι ἐν ἴσῳ δὲ κεῖσθαι τοῦ Φόβου.* Restituendum: *ἐν ἴσῳ δὲ κεῖσθαι τῷ βαῦ.*

VII.

In Soph. Oed. Tyr. 252 sqq.

ὑμῖν δὲ ταῦτα πάντ' ἐπισκήπτω τελεῖν
ὑπέρ τ' ἐμαυτοῦ τοῦ θεοῦ τε τῆςδέ τε
γῆς ὧδ' ἀκάρπως κἀθέως ἐφθαρμένης

vocabulum *ἀθέως* alienum. Scripsisse videtur poëta *κἀτέκνως.*

VIII.

In eiusdem Electra 160 sqq.

ὄλβιον, ὃν ἁ κλεινὰ
γᾶ ποτὲ Μυκηναίων
δέξεται εὐπατρίδαν, Διὸς εὔφρονι
βήματι μολόντα τάνδε γᾶν Ὀρέσταν

pro βήματι legendum λήματι.

IX.

Apud Thuc. IV, 124 διαφεύγοντες ἡσύχαζον mutandum in διαφυγόντες ἡσύχαζον, neque περιορώμενος recte se habet, verum προορώμενος.

X.

Eiusdem V, 55 verba ἐν τῇ Ἐπιδαύρῳ haud placent. Lege: ἐν τῇ Ἐπιδαυρίᾳ.

XI.

Plut. Themist. 18: ἔλεγε δὲ τοὺς Ἀθηναίους οὐ τιμᾶν αὐτὸν [l. αὑτὸν] οὐδὲ θαυμάζειν, ἀλλ' ὥςπερ πλατάνῳ χειμαζομένους μὲν ὑποτρέχειν κινδυνεύοντας εὐδίας δὲ περὶ αὐτοὺς γενομένης τίλλειν καὶ κολούειν expunge insulsum emblema κινδυνεύοντας.

XII.

Ibidem cap. 24: ἐκεῖ δ' αὐτῷ τὴν γυναῖκα καὶ τοὺς παῖδας ἐκκλέψας ἐκ τῶν Ἀθηνῶν Ἐπικράτης ὁ Ἀχαρνεὺς ἀπέστειλεν legendum ἐκεῖσ' αὐτῷ.

XIII.

In Plauti Curcul. V, 16:

Facis sapientius

quam latronum pars libertos qui habent et eos deserunt

coniicio mutandum esse patronûm.

XIV.

In eiusdem Pseudol. 308 verba Ballionis

inanis cedis: dicta non sonant

nihil dicunt. Lege: inania ėdis: dicta non sonant.

XV.

Terent. Heautont. IV, 5, 12:

De illo quod dudum? dictum ac factum reddidi

scripsisse videtur: dictum ecfectum reddidi.

XVI.

Sall. Iug. 14, 6 resecandum est languidum additamentum: nepotem Masinissae.

XVII.

De vier oud-atheensche φυλαί komen in wezen overeen met zoogenaamde standen of kasten.

XVIII.

λίς = λέων heeft bij Homerus het digamma tusschen de λ en de ι.

XIX.

Vormen in het latijn, als: egenus, Levana, zijn oude part. praes. media of komen in bet. daarmede overeen.

XX.

Het templum der Romeinen is van oud-arischen oorsprong.

XXI.

Ten onrechte beweert Curtius, Griech. Gesch. I, pag. 29, dat de Ioniërs in Klein-Azië geene kolonisten uit Hellas, maar de oorspronkelijke bewoners des lands geweest zijn.

XXII.

Onjuist is de bewering van Max Müll. Lect. on the Science of Language, II, pag. 41, ed. 6th, dat de verhouding tusschen Aerlisch en Ionisch, Hoogduitsch en Nederduitsch gelijk te stellen is met die tusschen Sanskrit en Prâkrit.

XXIII.

Niet te beamen is het gevoelen van Bopp, Vergl. Grammat. II, pag. 417 sqq. (ed. 3), dat het augment oorspronkelijk negatieve kracht heeft.

XXIV.

Behartenswaardig is de wenk van Buckle in zijne Hist. of the Civilis. Hoofdst. I, dat de historicus de physische wetenschappen niet moet verwaarloozen.

XXV.

Het ware te wenschen, dat bij eene nieuwe regeling van het hooger onderwijs ook voor de moderne talen leerstoelen werden opgericht.

M297394